(Arch.)
142
b
Fiche

4° Ctr. 142 b

Fiche

Oudendorp

2. a.

BREVIS
VETERUM MONUMENTORUM,
AB AMPLISSIMO VIRO
GERARDO PAPENBROEKIO
ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE
LEGATORUM,
DESCRIPTIO
IN DUAS PARTES DIVISA, QUARUM
PRIMA
GRAECOS LATINOSQUE TITULOS, ARIS, URNIS, AEDICULIS, BUSTIS, ARCIS, LAMINISQUE LAPIDEIS INSCRIPTOS, UTI ET ANAGLYPHA CONTINET:
SECUNDA
STATUAS, IMAGINES, CAPITA DEORUM, ILLUSTRIUMQUE VIRORUM &c. COMPLECTITUR.
Studio & Opera
FRANCISCI OUDENDORPII.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS ET FILIUM,
Academiae Typographos, 1746.



BREVIS LEGATI PAPENBROEKIANI DESCRIPTIO.

SECTIO I.

Epigrammatibus & Litteris notata marmora referens.

NUM. I.

Ad ſiniſtrum Academici horti latus.

apidea moles flaveſcentis coloris, librarum MCD vel plurium pondus habens, tres pedes Rhenolandicos, ac novem pollices ſeu uncias alta, duos pedes & tres pollices lata, unum pedem cum ſeptem pollicibus craſſa; in cujus binis lateribus adparet palmae folium inſtar arboris. In ſuperficie ſuperſunt veſtigia, quibus inſtitit olim ſtatua, ut ſuſpicor, Panthei rotunda. In ſuprema fronte ſculpti ſunt duo canes venatici, citato curſu in adverſum currentes; at temporis, aëriſque injuriis, & crebra lapidis circumvolutione ferme detriti. Hos excipit ſequens inſcriptio, conſtans

Bayerische Staatsbibliothek München

ſtans litteris duos pollices ſive uncias longis; quam ſaepiſſime, ſed varie, nec ſatis exacte hic illic editam, & inde minus bene explicatam, fideliſſime repraeſento.

IOVI· O· M· SVMMo
EXSVPERANTISSIMO
SOLI INVICTO· APOLLINI
LVNAE· DIANAE· FORTVNAE
MARTI· VICTORIAE PACI
C· ANTISTIVS· ADVENTVS
LEG· AVG· PR· PR·
DAT·

i. e. *Jovi optimo maximo, ſummo, exſuperantiſſimo, Soli invicto Apollini, Lunae Dianae, Fortunae, Marti, Victoriae, Paci Cajus Antiſtius Adventus, Legatus Auguſti pro praetore dat;* nempe hoc monumentum, ſive ſtatuam ſuperpoſitam, ſub Imperatore, ut opinor, L. Septimio Severo, ejusve filio M. Aurelio Antonino Caracallo. *Exſuperantiſſimi* vox nata eſt ſub Commodi patre M. Antonino. V. Inſcript. Donian. Cl. III. N. 31. Hinc frequens eſt Appulejo. Littera A. non habet mediam lineolam transverſam.

Lapis hic inventus eſt in agro Wiltenburgenſi prope vetus Trajectum, fuitque olim in horto ſummi viri J. G. Graevii, poſt cujus mortem pervenit ad eruditiſſimum virum, ac Medicinae Doctorem Engelbertum van Engelen, Ultrajectinum, ac tandem ad Papenbroekium.

De illo conſuli poſſunt praeter alios *Th. Reineſius* Inſcr. Cl. I. N. 244. *M. Zuerius Boxhornius* in Monumentis Illuſtrium virorum Fig. 126. *Jacobus Sponius* in Miſcell. Eruditae Antiq. Sect. III. pag. 72. *Ezech. Spanhem.* ad Callim. Hymn. in Jovem vſ. 91. & in Commentario Gallico ad Juliani Caeſares p. 91. &c. *G. Cuper.* in explicatione Gemmae Aug. p. 207. &c. *J. Georg. Keiſler.* in Diſſert. de mulieribus fatidicis poſt Antiq. Celt. p. 403. *M. Ayting.* in Notitia Germ. Inf. p. 1. pag. 92. *Graevius* in praef. T. XI. Theſ. Ant. Rom. *Perizon.* in Diſſ.

Tr.

Tr. p. 272. *Fr. Heſſelius* in praef. ad Inſcr. Gudianas Stella 9. vſ. *Lud. Ant. Muratorius* in T. 1. Inſcript. p. XXXIX. N. 4.

NUM. 2.

Ad dextrum Academici horti latus in meditullio aedificii recens conſtructi.

Lapis cinerei coloris, altus tres pedes & quatuor pollices, latus duos pedes & ſex pollices, craſſus pollices ſex & dimidium, habet inſculptum virum ſenem barbatum ac veſtitum, jacentem in triclinio ſemiſupinum, ſiniſtro brachio pulvinis nixum, ac manu dextera elevantem culullum Gallicae & Germanicae fabricae, *een Kroes*. Ante illum ſtat tripes menſa, epulis ac fructibus referta, & juxta collocatum eſt vas magnum quadratum, cujus ſuperior pars terminatur in rotundum os, anſa alligatum. A tergo viri ſtat ſervulus, dextra tenens vaſculum, vino in ſcyphos infundendo aptum. Ad pedes viri ſtat major ſervus arculam anſa tenens. In recessu paries quaſi conclavis, ut & prominentes utrimque margines ſculpturis varias, ſed maximam partem vetuſtate exeſas, figuras, & inter eas duos viros, ſive militares ſive Genios, referentibus ſunt ornati. Subeſt Inſcriptio, litteris, quae duabus unciis ſunt majores, exciſa.

D· M· VALENTI
BITITRALI
VET· EX· N· ALÆI
THRACVM· H· F· C·

i. e. *Diis Manibus. Valenti Bititrali, Veterano ex Numero Alae primae Thracum, heres faciundum* vel *fieri curavit.*

Ceterum lapis hic itidem in Wiltenburgenſi agro eſt effoſſus, & olim in aedes Celeb. Graevii delatus, ac tandem Papenbroekiani dominii factus. Totum autem hoc monumentum delineatum, deſcriptum & explicitum dederunt, ſed non ſine hoc

vel illo errore, *Boxhornius* Fig. 127. *C. Patinus* in Relat. Hiſt. p. 196. *Reineſius* Inſcript. Cl. VIII. N. 58. *Bern. Montfauconius* Antiquit. P. 2. T. 2. p. 444. Coll. cum P. 1. T. 3. p. 86.

NUM. 3.

Lapis argillaceus ſeu figlinus, rufi coloris, quadratus novem pollicum, quinque craſſus. Litterae rudiores, & omnium vocum aeque magnae citra pollicem, non ſunt inciſae; ſed prominent, utpote cavo ſigilli typo inpreſſae, dum mollis adhuc, necdum cocta erat argilla. uti ſolent in nummis, ac paſſim in tegulis & fictilibus operibus per haſce oras & alibi inventis. In quatuor angulis leviter exſtant anguillae, ita ut binae caudis cohaereant inſtar taeniae ligatis, ſive in aliquod lapidis ornamentum, ſive ad denotandos loci Genios. Sic ſe habet Epigramma, expoſitione non egens.

GENS
BATAVORUM
AMICI· ET· FRATRES
ROM· IMP·

Lapis hic, inventus in arce Britoburgo prope Catvicum, ex multo jam tempore ſub marinis undis latente, paſſim confundi ſolet cum alio, qui A. MDII. inter arandum prope Leidam Romaeburgi ex ruderibus Armamentarii, a L. Septimio Severo Imp. & M. Aurelio Antonino Caeſare ſub Valente Leg. Aug. Propraet. curante Caecilio Batone, reſtituti, repertus eſt. Is enim maximis ſeu praegrandibus characteribus erat inſculptus, pleniſque omnibus vocibus, nec fictilis; uti noſter, & multi e Britoburgi reliquiis eruti. Rurſus hi duo confundi non debent cum tertio, quem pro ſalute, itu, & reditu M. Aurelii Antonini Auguſti, & P. Septimii Getae Nobiliſſimi Caeſaris poſuere CIV· BATAVI FRATRES· ET· AMICI· P· R· V· S· L· M· apud J. Gruterum p. 73. N. 9.

Adeundi praeter alios ſunt *Gerardus Noviomagus* in Antiq. Bat.

Bat. p. m. 13. & *Corn. Aurelius* p. m. 100. *Boxhorn.* in Theatr. Holl. p. 226. *Hadrianus Junius* in Bat. p. 34. *J. Douſa filius* in Ann. Holl. p. 8. *H. Grotius* de Antiq. Reip. Bat. p. 23. *Scriver.* in Antiq. Bat. p. m. 194, 195. *J. Lipſius* ad Taciti Ann. L. XI. C. 25. *Steph. Vin. Pighius* in Herc. Prod. p. 11. *Cluverius* de III. Rheni alveis p. 373. *Gruterus* in Inſcript. p. 499. N. 13. *Cuperus* in Mon. Antiq. p. 222. *J. Gronov.* in Allocut. ad J. Waſſenaarium A. 1703. *Sig. Havercampus* in dedic. Eutropiana.

NUM. 4.

Album marmor faſtigatum, XV. pollices ſive uncias altum, X. latum, II. craſſum; exſculptas oſtentans III. figuras, quarum una eſt femina in ſiniſtro angulo ſedens, ſtolata, velato praeter faciem capite, ac pedibus ſcabello nixis. In medio ſtat itidem ſtolata mulier, & ab altero latere vir comatus & palliatus. Sub duobus ſtantibus figuris haec Graeca eſt Inſcriptio.

ΚΟΑΡΤΑ	ΔΙΟΓΕΝΗ
ΒΑΚΚΙΟΥ	ΒΑΚΚΙΟΥ
ΧΑΙΡΕ	ΧΑΙΡΕ

i. e. *Quarta Bacchii vale, Diogene Bacchii vale.* Sive hae Bacchii vel Bacchiae filiae fuerunt, ſive uxores illic ſepultae. Male in tabella aeri inciſa, & legato Papenbroekiano juncta, quam ideo huic deſcriptioni adnexuimus T. I. N. 2. primo loco ΡΑΚΧΙΟΥ exhibetur, & altero ΔΙΟΡΕΝΗ ΚΑΙΡΙΟΥ.

Hoc monumentum olim poſſedit ampliſſ. Conſul Amſtel. Nicolaus Witſen.

NUM. 5.

Lapis cineracei coloris, latus pedem & VIII. pollices, altus pedem cum III. pollicibus, craſſus II. pollices. Litterae egregie rotundae pollicem & quadrantem ſunt magnae.

M.

M· ANTIST· PLACIDIN
M· VLP· ASPADIVS· I·
·· L· VICTOR· MISSI
HON· MISSIONE· EX
SIGNIFF· LEG· XXX· D· D
FAVSTINO ET RVFINO
COSS·

i. e. *Marcus Antiſtius Placidinus*, *Marcus Ulpius Aſpadius*, ... *Victor*, *miſſi honeſta miſſione ex ſigniferis Legionis Triceſimae dono dederunt*, *Fauſtino & Rufino Coſſ.* Sive anno urbis conditae CMLXIII., Chriſti CCX., qui fuit ultimus Imperatoris L. Septimii Severi.

Inventus eſt hic lapis apud Vetera ſive *Santen* in ducatu Clivenſi, ut innumera ſimilia reperta ſunt in illis Rheni oris a Colonia Agrippina ad mare uſque. Primus eum poſſedit Celeb. Graevius, & edidit explicuitque Ampl. *Menſo Altingius* in notitia Bat. ac Friſ. Ant. p. 41. ubi exeſas litteras ſupplens legit L. AUREL. i. e. *Lucius Aurelius*. At nequaquam tot litterae poſſunt deeſſe. Malim ET vel M. FL. i. e. *&* vel *Marcus Flavius*. Sic *Flavius Victor Eq. Sing. Aug.* cum *fratre T· FL· Verino nat. Friſaeone* apud Gud. p. 166. N. 5. Alioquin & *M. Ulpius Victor* ſignifer apud Gruter. p. 569. N. 12. Poſſet etiam M. SIL. i. e. *M. Silius*. Sed ἐπέχω, Indicem, non commentarium conficiens.

NUM. 6.

Inferius majoris monumenti lapidei fragmentum, eodem, quo ſuperius, colore (V. & n. 12. 69.) latum II. pedes & totidem pollices, altum VII. amplius pollicibus, craſſum fere VIII. pollices. Inſcriptio conſtans litteris duarum unciarum & dimidiae haec eſt.

LEG· I· M· P· F· ET
LEG· XXX· V· V·

i. e.

i. e. *Legio prima Minervia, pia, felix, & Legio tricesima, Ulpia, victrix.* Edidit & explicuit doctiſſimus vir *H. Cannegieterus* in Diſſert. de Brittenburgo p. 116. V. *Dion. Caſſ.* L. LV. p. 564. & innumeras Inſcriptiones, ſaepe tamen corrupte aut vitioſe, praeſertim quod ad Leg. XXX. V. V. attinet, editas.

NUM. 7.

Urna marmore albo rotunda, eleganter undularum in ſpeciem §§§. ſtriata, alta IX. pollices & dimidium, craſſa in diametro X. cum dimidio, profunda VIII. pollices, in cujus fundo item rotundum eſt foramen. Ab utroque inſcriptionis latere ſtant duae imagines, alatae ſtolataeque, ac bis cinctae, bracchiis manibuſque ad latera dependentibus, quibus pallae demiſſas lacinias tenent. Epigramma eleganter ſculptum eſt

D· M· CN· POL
LI SABINIA
NI· Q· VIX· AN
XXIIII· DIES
XXIIII· POL
LIA FORTV
NATA MI
SERA MA
TER FECIT·

i. e. *Diis Manibus Cnei Polli Sabiniani, qui vixit annos viginti quatuor, dies viginti quatuor, Pollia Fortunata, miſera mater, fecit.* Scil. hoc monumentum. Ex Italia hanc urnam plurimasque alias ſecum adtulit ampliſſ. vir Joannes de Witt, Urbis Dordracenae Conſulibus, dum vivebat, ab Actis, ac digniſſimi cum maxime ejuſdem urbis Conſulis, & Batavae Academiae Curatoris Cornelii de Witt pater, magnus Antiquitatum admirator, & eximius humaniorum litterarum cultor.

NUM. 8.

Elegantiſſima urna rotunda, candidiſſimi marmoris, eodem, quo praecedens, modo ſtriata, alta XI. pollices quadrante minus, in diametro pedem craſſa, profunda IX. pollices cum dimidio, rotundum habens in fundo foramen. In ſuperiore margine

D· M·

Inſcriptio exſtat in quadratura, tertiam urnae partem complectenti, & caudis, ut ajunt, hirundininis exſculpta

T· AELIO· AVG· LIB· TITIANO· PROX
A· LIBR· SACERDOTAL· DEF· CARNVN
ANN· XXXXII· M· III· D· XIX· MARIT· VIRGIN
DVLCISS· ET· INCOMPARABILI· BENE
QVE· MERITO· QVEM· FVNERAVIT
FL· AMPELIS· CONIVX· CARISSIMA
ET· RELIQVIAS· EIVS· PERMISSV· IMP
IPSA· PERTVLIT· CONSECRAVITQVE
CVM· Q· V· A· XII· M· III· D· XXI· SINE VLLA
QVERELLA

i. e. *Diis Manibus. Tito Aelio, Auguſti liberto, Titiano, proximo a libris Sacerdotalibus, defuncto Carnunti, annos nato quadraginta duos, menſes tres, dies novendecim, marito virginio, dulciſſimo & incomparabili, beneque merito, quem funeravit Flavia Ampelis, conjux cariſſima, & reliquias ejus permiſſu Imperatoris ipſa pertulit conſecravitque, cum quo vixit annos duodecim, menſes tres, dies viginti unum ſine ulla querella.*

Hanc urnam Romae ab Antiquario Luca Corſo emit idem Joannes de Witt, ex cujus ſupellectilis antiquariae auctione ſua ſibi pecunia comparavit Gooswinus Uilenbroekius, qui eam cum aliis Inſcriptionibus nobiliſſimo Papenbroekio muneri dedit. Late

te eam hiſtoriam urnaeque delineationem & eruditiſſimam explicationem reperias in Commentario ſummi viri, atque integerrimi mihi amici *Jacobi Philippi D'Orville*, inſerto Miſcell. Obſerv. Nov. T. III. A. 1741. p. 120. &c. *Had. Reland.* Diſſ. quarta de Numm. Samar. ad Cl. *Ottium* p. 131, 132.

Sed & Ectypon ejus vide hic Tab. II, quae ſimul cum legato Academiae tradita eſt.

NUM. 9.

Lapis argillaceus ſeu cretaceus, cinerei, ſed albicantis coloris, altus duos pedes, ac tres pollices, latus in baſi pedem cum quinque pollicibus, craſſus circa quatuordecim pollices. In ſummitate adparent fructus & poma varii generis. Vide ſequentem. Inſcriptionis litterae ſunt pulchrae, ſeſquipollicis.

D E A E
NEHALENI
AE T· FLAVI
FORTVNAT
L I B· ⁝ ⁝
PRIMITIVS
V· S· L· M·

i. e. *Deae Nehaleniae Titi Flavii Fortunati Libertus Primitius votum ſolvit lubens merito.* Scilicet M· vel quocumque inſignis praenomine, Primitius deae gratias agit pro libertate, quam accepit manumiſſus a domino T. Flavio Fortunato. In ſchedis Papenbroekianis multis locis prave erat concepta haec inſcriptio. Quacumque vero de cauſſa votum ſolverit is, qui lapidem poſuit, fuit certe aliquis *Primitius.* quod libertorum nomen in Inſcriptionibus eſt frequens. Immo ſic Domburgi, ubi hic inventus eſt lapis, reperitur quoque HERCULI MAGUSANO M· PRIMITIVS TERTIVS apud *Fr. Heſſelium* in Praef. Append. ad *Gudian.* Inſcript. Stell. 13.

Hic lapis, cum ſequente, aliiſque plurimis, de quibus ſaepiſ-

ſime Latine & Belgice egerunt viri docti, exteri indigenaeque, quorum ſolus catalogus totam impleret paginam, A. MDCXLVII. V. Januarii ad Domburgum, Walachriae vicum, & celeberrimum olim portum ad oſtium Moſae Vahaliſque *Novum Helium*, in ora litorali, quum Euro praeter ſolitum flante longius receſſiſſet, atque arenas nudaſſet mare, eſt detectus; atque aliquanto tempore ſervatus fuit in hortis Godynianis ſive *'t Huis ten Duinen* in Zelandia prope Medioburgum. Nuſquam vero, quantum ſcio, adhucdum typis eſt vulgatus, uti nec ſequens, multo praeſtantior.

NUM. 10.

Lapis ejusdem materiae in medio & utrisque angulis faſtigatus, duos pedes & dimidium altus, pedem & ſeptem pollices latus, craſſus novem fere. Mulier, Tutelaris loci dea ac Lar, ſive Bona Fortuna, veſte longa induta, ſub tholo ſeu fornice arcuato & ſtriato ſedet in ampla ſella inter duas columnas; ſinu ſuſtinens calathum pomis aliisque fructibus repletum: a dextra ſedet canis, Deorum Larum, tam publicorum quam privatorum, ſymbolum. A ſiniſtra ſtat caniſtrum fructibus plenum. Ab utroque latere ſunt ſculptae florum & foliorum figurae. Inſcriptio litteris pulcherrimis & bene quadratis haec eſt.

D E A E
N E H A L E N N I A E
A M M A C I V S
H V C D I O N I· S· L· M·

Sic clariſſime exſtat in hoc monumento, quod a ſordibus, quibus obſitum erat, bene purgari juſſi. Aliis in ſchedis male exhibetur. Ceterum neſcire me fateor, quid velint hae litterae CDIONI· Si liceret ſtatuere, eas operarii culpa eſſe vitioſas, facile quis inde exſculperet *hoc votum cum donis ſolvit lubens merito;* vel ſimpliciter potius barbaro nomine *Hucdion votum ſolvit* &c. ut *Hucdion* ſit cognomen, & I littera ſola ſit male ſculpta pro V· nam praeſertim in monumentis Domburgenſibus, uti

uti in aliis, occurrit in fine haec formula V· S· L· M· Alioquin an ſingularum vocum omnes ſint primae litterae, videant, quibus plus otii eſt. Utriuſque Ectypa inter Domburgenſia monumenta, jam aere inciſa, & tabulis expreſſa eſſe, ſcias, lector.

NUM. II.

Marmor Parium quadratum rudioris operis, altum pedem & ſeptem pollices, latum pedem & quinque pollices, craſſum quatuor cum dimidio. In receſſu ſtat robuſtus vir nudus gladiatoris inſtar, cujus venter & pudenda multis faſciarum involucris ſunt obtecta. Manu dextra extenſa tenet tridentem, ſiniſtra mitella ſive caeſtu eſt armata, brachiumque ſub ſcuto latet. Inſcriptio comparet in ſuperiore eminente margine.

ΑΠΟΛΛΩΝΙΟCΝΕΙΚΑCΜΗ
ΖΩCΙΜΗ ΧΑΡΙΝ ΜΝΗΜΗC
ΙΔΙΑ
ΓΥΝΗ·

Apollonius Nicas. non vivere valens, memoriae cauſſa, propria uxor. Sc. poſuit hoc monumentum. Ita haec ſonant ad litteram: niſi *Zoſime* ſit nomen proprium: ſed quo MH tunc referendum ſit, divinatu non eſt facile. In tenebris hic mico. Olim fuit in horto ampl. Sixii, Conſulis Amſtel.

NUM. 12.

Lacerum fragmentum lapidis cinereo colore, quod altum ſedecem pollices, latum quatuordecim, craſſum quatuor, in fronte pomis eſt ornatum, & in latere utroque ramum habet cum lauri, ut videtur, foliis. Hae reſtant litterae.

M· BRITTIS· MAX···
ACIS· LANDAC···
M· L· XXX· V· V· ET···
IN· PR· L· IVR·····
····IVDN

Dedicatum fuiſſe *Matribus Brittis a milite Legionis triceſimae Ulpiae victricis* teſtantur litterae clare ſuperſtites, ac verſu quarto latet forſan *Legio prima Minervia.* Vide Num. 6. Eſt enim & hic lapis apud Vetera repertus, ut ſchedae Papenbroekianae, ſed minus accuratae, docent. Plura de hoc ſimilibusque monumentis adi Cl. *Cannegieter.* in Brittenburgo p. 21. & quos laudat; item *Sponium* in Antiq. Lugd. p. 88, 194. *Keiſler.* in Antiq. Celt. p. 371.

NUM. 13.

Marmor album leviter faſtigatum, altum pede & duobus pollicibus, latum octo pollicibus, craſſum duobus & dimidio, exhibet virum comatum & palliatum, a cujus ſiniſtra in angulo ſtat puerulus ſuccinctus & moerenti ſimilis. In ſuperiore fronte reliquae ſunt hae litterae.

ΠΑΤΡΟΔΩΡΟC M···
T?N··

Pro Π poſſet etiam videri eſſe H· Olim poſſedit hunc lapidem Ampl. Conſul N. Witſen. Addidimus quoque Ectypum, tabula aenea, Papenbroekiani legati adpendice, inciſum; ſed minus exacte, quod ad litteras adtinet T. 1. N. 1.

NUM. 14.

Monumentum Parii marmoris, altum tredecim pollices, latum pede ac tribus pollicibus, craſſum duos pollices. In angulis duae ſunt columnae eleganter ſtriatae cum capitulis floreis & baſi: item adparent tenues corymbi hederacei. Inſcriptionis litterae ſunt characteris optimi.

DIS·

DIS· MAN·
L· IVLIO· VOGVSIO
NATONE FRIS
FECIT NAEVIA FORTVNIA
COIVGI INCOMPARABILI
CVM QVO VIX· AN· XIX·

i. e. *Diis Manibus. Lucio Julio Vogusio, natione* (vitiose in lapide) *Frisio* vel *Frisaeoni, fecit Naevia Fortunia conjugi* (in lapide *coj.* ut saepe) *incomparabili, cum quo vixit annos novendecim.*

Ex Italia secum adtulit Ampl. J. de Witt, in cujus Gazophylacii catalogo male editur *posuit N. Fortunata.* Dein hoc marmor possedit quoque Eques Baronetus & Veredariae rei apud Leidenses praefectus Robertus de Neufville.

NUM. 15.

Graeca inscriptio in albo marmore, lato fere pollices septem, alto tres & dimidium, crasso sesquipollicem.

ΑΝΤΙΝΟΟϹ· ΜΑΡ
ΚΕΛΛΟϹΟΡΕΥϹ
ΤΟΥ· ΑΔΡΙΑΝΟϹ
ωΚΟΛΟΜΗϹΕΝ

G pro C, & Λ excisum est pro Δ: ac, nisi plures lapicidae insunt errores, inscriptionis sensus est, *Antonius Marcellus, Reusti filius, Adrianus*, sive urbis Adriae civis, *aedificavit.*

Ex Italia adtulit Ampl. J. de Witt, ac possedit dein Rob. de Neufville, in cujus supellectilis antiquariae indice vitiose exhibetur ΜΑΡΚΕΛΟΔΓΟΡΕΥΚΤΟΥ.

NUM. 16.

NUM. 16.

Epitaphii fragmentum in marmore caerulei coloris, quo insculptae fuerunt imagines, ut ex quibusdam reliquiis, & in his equi, ut videtur, marini pede patet. Altum eſt quatuor pollices cum dimidio, & totidem latum adhuc. Inſcriptio pulcris litteris Graeca in fine verſuum eſt plena: ſed ab altera parte per lapidis diffractionem miſere truncata. Ex quarti & octavi verſus, nec non aliorum, reliquiis, conjicias, fuiſſe Epigramma Elegiacum.

...ΝΩ ΠΕΝΘΟΣ ΗΡΑΝΤΟ
.....ΑΡΗΝ ΒΙΟΤΟΥ ΤΟΣΣΟ
.....,ΤΥΜΒΕ ΕΥΔΗΜΑΣ
.....ΝΘΑ ΠΕΤΡΕΣΣΙΝ
.....ΕΙΣ ΜΗΝΑΣ
.....ΟΝΟΝ,ΒΑΣΚΑ
.....ΝΕΟΣ ΟΥΔΕΓΕ
.....:ΤΘΟΝ ΕΧΩΝ·

Itidem ex Italia advexit Ampl. J. de Witt, ac poſſedit quoque Goosw. Uilenbroekius.

NUM. 17.

Urna marmoris albi in arae quadratae formam, cujus latera exprimunt quaſi parietes quadrato lapide exſtructos, quorumque dextro medio eſt guttus ſeu phiala, in ſiniſtro patera ſolito more. In infima frontiſpicii parte media eſt avis, capite truncata (ſive illa ſit turtur, ſive potius cornix vel aquila) & alis expanſis. Quemadmodum innumeris adparet in monumentis apud Boiſſardum, aliosque. Eadem avis inſidet ſerto lemniſcis ornato, in cujus umbilico rotundum eſt foramen, quod aliquando inſerviiſſe videtur ſiphunculo; cum ipſa urna vaſis aquarii uſum praebuit. Nam cavitatis quadratae profunditas eſt pedem alta: dum ipſa urna altitudinem pedis & decem pollicum

ſeu

ſeu unciarum habet, infima in parte lata pedem cum dimidio, in ſumma pedem cum tribus pollicibus, craſſa pedem & duos pollices. Inſcriptio ſic ſe habet, ad litteram fideliter expreſſa.

IVLIA· PROCILLA· VIX· AN· XIX
AMARANTHVS CAESARIS AEDITVS *Sic.* V. *Gor.* in Columb. Lib. Liv. p. 216.
AB· CONCORDIA· COIVGI· BENE
MERITAE· POSVIT·

HVNC· TIBI· PERPETVO· TITVLVM
GRATISSIMA· COIVNX· CORPORIS
EXTINCTI· DEDICAT· IPSA· FIDES· VIXISTI
MECVM· IVVENIS· CAROS Q· PER ANNOS
QVOS VITA· EXEGI· DVLCITER
IPSE Expanſis hic alis MEA
OPTO· SI QVA· avis FIDES
REMANET· inſiſtit TVLLVRIS *Sic*
AMICAE· ſerto lemniſcato SIT· TIBI
PERPETVO· TERRA
LEVIS· TVMVLO·

i. e. *Julia Procilla vixit annos novendecim. Amaranthus, Caeſaris aedituus ab Concordia*, ſive aedis Concordiae, *conjugi bene meritae poſuit.*

Hunc tibi perpetuo titulum, gratiſſima conjunx,
Corporis extincti dedicat ipſa fides.
Vixiſti mecum juvenis, carosque per annos,
Quos vitâ exegi dulciter ipſe meâ:
Opto, ſi qua fides remanet telluris amicae;
Sit tibi perpetuo terra levis tumulo.

Fuit olim Romae in regione Sancti Euſtachii, in domo Proſperi de Caſarellis, Epiſcopi Aſculanenſis. Roma devexit Ampl. J. de Witt. Hoc defuncto emit G. Uilenbroekius, a quo nactus

ctus eſt Papenbroekius: atque hi ultimi poſſeſſores recte in ſuis ſchedis notarunt, mirandum eſſe, inter tot viros eruditos, qui hujus urnae inſcriptionem publicarunt, nullum reperiri, qui omnino ſine vitiis, aut ſatis exacte deſcriptam dedit: ſicut a nemine vera inſcriptionis facies eſt exhibita. Adi, ſi vis, *Jac. Mazocchii* Epigramm. Ant. Urb. Romae 1521. p. 131. *P. Apiani* & *Barth. Amantii* Inſcript. Ingolſt. 1534. p. 236. *A. Manutii* Orthograph. Ven. 1566. p. 268. *J. Jacobonium* de priſca Caeſiorum Gente p. 133. *Mart. Smetii* Inſcript. Antiq. Lugd. Bat. 1588. p. 46. *P. Pithaei* Epigr. Vet. Par. 1590. p. 121. *M. Zuerii Boxhorn.* Monum. Ill. Vir. F. 120. *C. Barthii* Adverſar. p. 2424. qui duas inſcriptiones confundit ac conflat, ut patet ex *J. Gruteri* Inſcript. p. 319. & 843. *J. Bapt. Ferretii* Muſas Lapid. Veron. 1672. p. 42.

NUM. 18.

Elegans marmor Parium faſtigatum, pede & ſeptem pollicibus altum, pede & quatuor circa pollicibus latum, tribus craſſum. Sub faſtigio duae ſunt coronae atque in receſſu medio ſtat puer Apollonius, dextra manu uvam porrigens, quam ſuſpicit canis, ſiniſtra chlamydis ſinum longe ſuper genua adtollens. Ab ejus dextro latere minor puellus longa veſte indutus inſidet ſaxo, dextra tenens ſimile quid teſſerae: pone eum exſurgit arbor, ex qua prominet circumflexus ſerpens. Ab ſiniſtro latere adſtat ſuccinctus vernula ante baſin, cui inſiſtit Hermeracles ſive mixta Hermae i. e. Mercurii & Herculis ſtatua, ut infra N. 77. Inſcriptio ſub coronis & ſuper puerorum capita haec eſt

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΔΙΟΔΟΤΟΥ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΔΙΟΔΟΤΟΥ

i. e. *Dionyſius Diodoti filius. Apollonius Diodoti filius.*

Sepulcrale hoc monumentum cum aliis hujus collectionis quam plurimis Zmyrna, ut ſuſpicor, advectum poſſedit olim ampl. Carolus Heidanus, Urbis Leidenſis Coſſ. ab actis. Simi-

lia

lia plane puerilia Epitaphia occurrent N. 24. & N. 63. V. etiam *Carol. Patin.* in 3. Inſcr. Graec. Pat. A. 168. & illuſtr. Bouhierium, ingens Galliae decus, at nuperrime ſummo litterariae Reip. detrimento mortalibus exemtum, in Diſſert. de Antiq. Marmor. p. 21. & Marm. Oxon. p. 128. Ornamenta vero iſta ſunt ſtatuariorum luſus, qui pictorum inſtar ſibi in his multa indulſerunt. Horum puerorum Dionyſii & Apollonii patrem Diodotum memorare videtur Epitaphium de publico ei poſitum Num. 25.

NUM. 19.

Candidiſſimi coloris, ſed caeruleis venis mixti, marmor, altitudine pedis & ſeptem pollicum, pedis latitudine, craſſitudine unius pollicis: qua magnitudine ſunt ipſae litterae elegantes; ſed vitioſiſſime prae lapicidae oſcitantia, inperitia, vel feſtinatione ſculpta ſe habet inſcriptio, exactiſſime a me expreſſa.

D· M·
GN· POMPEIO
POMPEAAO *Sic*
EQVO· PVBLICO *Sic*
TRIBVNO LEG· IIT *Sic*
ITALICE· PREFECTO *Sic*
COHORTIS· AFORVM *Sic*
IN· DACIAM
POMPEIA· CLEOBVLA
ET CLEOPATRA· FRATRI
KARISSIMO·

i. e. *Diis Manibus. Gneo Pompejo Pompejano Equo publico* (ſive equeſtris dignitatis, ut ſexcenties. V. ad Ulpian. T. VII. de jure donationum) *Tribuno Legionis Tertiae* ſive III *Italicae* (v. Dion. L. IV. p. 564. & Inſcripp.) *Praefecto cohortis Aforum in Daciam* (pro *intra D.* vel *in Dacia.* v. Celeb. Drak. ad

Liv. x. 19. me ad Front. 1. 3. 5. Columb. Lib. Liv. p. 215.) *Pompeja, Cleobula & Cleopatra fratri cariſſimo* ſcil. hoc monumentum poſuerunt.

Lapis hic olim fuit in aedibus Cavaleriis, dein in hortis Boſii; ubi eum vidit, & deſcripſit Marq. Gudius A. MDCLXII. poſtea fuit Hagae Comitum in aedibus illuſtr. Conſtantini Hugenii, A. MDCLXXXVII. defuncti. Editus eſt, ſed nequaquam accurate, cum ab aliis, tum ab *J. Grutero* p. CDLV. N. 2. V. & p. CDLIX. N. 9.

NUM. 20.

Marmor pulcherrimum, venis caeruleis album, latum undecim pollices ſive uncias, altum ſeptem, craſſum quatuor cum dimidia. In ſuperficie, rotundae cavaturae veſtigium magnitudine Philippii nummi adparet: qua cavatura ſtetit ſcilicet argenteum Imperatoris ſignum, cujus meminit inſcripta haec baſis

IMP· HADRIANO
AVG· N· P· P·
M· PETRONIVS· SVRA· PROC
CVM MAMERTINO ET ANTONINO
LIBERIS
EX· ARG· P· V· S·

i. e. *Imperatori Hadriano Auguſto noſtro, patri patriae, M. Petronius Sura Procurator* (vel *Proconſul*) *cum Mamertino & Antonino liberis* (ſcil. hoc ſignum poſuerunt) *ex argento pondo quinque ſemis.*

Hoc monumentum Romae, ut ajunt, repertum A. MDCXXI. exſtitiſſe dicitur apud Alexandrum Rondonium; dein ad Joannem Wouwerium in Brabantiam transmiſſum eſt, a cujus heredibus emit ill. Conſt. Hugenius, in cujus aedibus Hagae Comitum diu adſervatum fuit. Editum, ſed minus exacte, in *Gudianis* p. XC. N. 3. *Donianis* p. 557. N. 18. & a *L. A. Muratorio*

ratorio T. I. p. CCXXXVI., doctiſſime explicuit meus *J. Ph. Dorvillius* in Miſcell. Obſ. Nov. ad A. MDCCXLI. p. 101. &c. qui in data ad me epiſtola bene ſuſpicatur, intelligi T. Aelium Hadrianum Antoninum Pium; atque hujus M. Petronii Surae procuratoris, ut nunc mavult, filium Mamertinum & nepotem Antoninum, ex Mamertino & ſorore Commodi genitum, ab Imp. Commodo eſſe occiſos, ut refert *Lampridius* in ejus vita Cap. 7.

NUM. 21.

Albi marmoris lamina, ſeptem pollices lata, quatuor & dimidium alta, unum craſſa, habens inter undulatas lineas inſcriptionem, libertinorum memorem.

D· M· S
TI· CLAVDIO PAPAE
FECIT
CLAVDIA CYPARE
CONIVGI SVO· B· M·

i. e. *Diis Manibus Sacrum. Tiberio Claudio Papae fecit Claudia Cypare, conjugi ſuo bene merito.*

NUM. 22.

Candidum marmor, latum pedem & tres pollices, altum fere ſeptem pollices, craſſum unum cum quadrante, bonae aetatis praefert litteras haſce

C· SEPTVMIVS· TE· L· SARRONIUS *Sic*
PAVIMENTVM· DE· SVO
FECIT· SIBI· ET· SOCIIS

i. e. *Cajus Septumius Stellatina* ſcil. tribu (ſic enim puto ſculpi debuiſſe STEL·) *Sarronius pavimentum de ſuo fecit ſibi*

& ſociis nempe publicanis, & forſan intelligitur pavimentum balneare, vel ſepulcrale.

Exſtitit olim hoc epigramma Romae in hortis Coelimontanis Matthaejorum; dein Hagae in aedibus Conſt. Hugenii, editumque eſt inter *Gudiana* interpolate p. LXXV. N. 6. ubi ET· L· SARDONIVS &c. FECER· &c. SOCIS; uti & apud *Muratorium* T. I. p. CDLXXXV. N. 3.

NUM. 23.

Fragmentum marmoreum, in duas columnas diviſum, ſed ab omnibus partibus mutilum, nunc ubi latiſſime patet, latum ultra tres pedes, altum undecim pollices, craſſum ſeſquipollicem. Inſcriptio conſtat litteris pollice majoribus

····ARIO· CVRATORI VIAE	PROCOS· PROV· AFRI·····
·····ET· ALIMENTORVM·	COS· AQVARVM· ET· M·····
·····I· PVBLICAE· AECLANENSIVM·	ELECTO· AD IVDICAND. SACR···
·····RICVLANORVM·	RECTORI· ITALIAE· REG· TRA···
·····OVINCIAE· ASIAE·	CVRATORI· COLONIAR· SPL····
····· ARIO Q· K· FLAMINI·	LVGDVNENSIUM· CAM·····
	CALENOR· XII· VIR· ROM····

i. e. .... *Curatori viae .... & alimentorum .... reipublicae Aeclanenſium .... Ocriculanorum .... provinciae Aſiae* proconſuli nempe .... *Quaeſtori Candidato, Flamini. Proconſuli provinciae Africae, Conſulari aquarum & Miniciae, Electo ad judicandum ſacra vice, Correctori Italiae regionis Tranſpadanae.* (Sic enim haec eſſe ſupplenda patet ex *Grut.* p. LIV, 6. CCCLXXXI, 3. CDLIX, 7. ubi male Gud. *Donian.* Cl. v. N. 60, 63. *Gud.* p. XII, 8. LXXX, 1. CXXIV, 7. *Murat.* T. I. p. CCCLVII, 3.) *Curatori coloniarum Spoletinorum* (forte) *Lugdunenſium, Campanorum, Calenorum duodecim viro, Rom.*

Hoc monumentum olim ex Italia ſecum advexit ampl. Joannes de Witt, poſt quem poſſedit Eques Baron. Robertus de Neufville: editumque jam deprehendi a clar. *Fabretto* Inſcript. p. 730. Male in catal. Witt. & Neufvill. ac Sched. Papenbr. exhi-

exhibetur VIAR. ſeu *viarum*. Quibus autem dedicatus ſit lapis, conjici eſt temerarium; quum ex eorum nomine nihil ſuperſit, niſi *ario*. Reliqua paſſim in Inſcriptionibus & Cod. Theod. atque alibi ſunt obvia.

NUM. 24.

Lamina marmoris albi, alta novem pollices, lata decem, craſſa duo & dimidium, in quo gallus gallinaceus currit ad aram vel incudem, puero nudo ejus caudam quaſi adprehendente, cujus a tergo ludicri quid volare videtur. Canis autem inſequitur puerum, ejuſque ſuram adpetit. Supra eſt ſcriptum

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC ΕΤΩΝΓ·

i. e. *Alexander trium annorum.*
Sepulcrale hoc μνῆμα olim poſſedit ampl. Carolus Heidanus.

NUM. 25.

Inſigne marmor Parium faſtigatum, altum tres pedes cum dimidio, ab inferiore parte latitudinem habens pedis & decem pollicum, a ſuperiore ſeſquipedis; quinque pollices eſt craſſum. In faſtigio ſunt duo ſerta, ut videtur, oleaginea cum duabus roſis. In lapidis receſſu duo viri ſtantes, nudo capite & habitu Graecanico palliati ac ſoleati. pone illos in ſummo quaſi conclavi ſtat capſa cum aliquot librorum voluminibus V. & N. 77. 79. Ad pedes ſtant tres pueruli comati, quorum duo alte ſuccincti, tertius in ſiniſtro angulo talaribus veſtibus indutus, & prae ceteris lugenti ſimilis. Eſt ſummae artis opus. In corona una, & infra utraſque haec eſt inſcriptio.

ΟΔΗ
ΜΟΣ

ΔΙΟΔΟΤΟΝ ΔΙΟΔΟΤΟΥ ΤΟΝ ΝΕΩΤΕΡΟΝ

i. e. *Populus honorat Diodotum, Diodoti filium juniorem.*
Nam

Nam ſubintelligendum eſt στεφανοῖ: quod verbum per coronam, honoris emblema, ſignificatur. Eſt enim ſepulcrale monumentum Zmyrnenſium publice Diodoto, forſan Γραμματεῖ, ac patri puerorum, de quibus N. 18. exſtructum ob ejus benemerita in remp. Oleaginea eſt corona in pacis aeternae ſignum. Similia epitaphia mox, ut N. 26, 27. ſequentur: ac plurima ejus generis & formae ex Aſia minore & Zmyrna ſunt advectae, in quibus populus ſic honorat civium ſeu magiſtratuum bene meritorum memoriam. Quod vocabant ὀνόμασι στεφανῶσι. V. omnino Marm. Oxon. p. 1, 82, 126, 145. *Spon.* Miſcell. p. 335. Itin. T. 1. p. 420. *Reineſ.* Cl. 2, 70, 71. Cl. XI, 5. *Car. Patin.* in ant. Monum. Ulpiae Marcellinae Pat. 1688. *Montfalc.* Supplem. Antiq. T. v. p. 25. & denique, ac prae reliquis ill. *Bouhierium* in Explicat. aliquot marmorum p. 15. &c. &c.

Olim hoc monumentum poſſedit ampliſſ. vir. Amſtelaed. Conſul Joannes Sixius, in cujus aedibus id contemplatus eſt Jacobus Tollius; ſed miris profecto oculis. Nam in Epiſt. Itiner. p. 4. ait ſe conſiderato hoc Olympionicae lapide deſcripſiſſe ſubjectam inſcriptionem.

ΟΛΥΜΠΙΑΔΙ
ΣΚΘ
ΟΔΗΜΟΣ
ΔΙΟΔΟΤΟΝ ΔΙΟΔΩΡΟΥ
ΤΟΝ ΝΕΩΤΕΡΟΝ·

Nulla Olympiadis mentio eſt in lapide, nec fuit: namque adhuc integer eſt. Vitioſe quoque ΔΙΟΔΩΡΟΥ editum, ut vel patet ex ΝΕΩΤΕΡΟΝ· Ectypum minutum apparet in pag. Epiſtolarum prima.

NUM. 26.

Excellentiſſimum quoque marmor Parium, ejuſdem formae, longum quatuor pedes, & quinque pollices, pede & novem pollicibus latum, craſſum quatuor pollicibus. In faſtigio roſa

roſa & tres coronae. In receſſu mulier ſtans, velato occipite, ſtolata; ita ut infimi pedes quoque ſint tecti. Pone ſe in ſuperiore parte habet capſam faſtigatam, & plicatilem umbellam apicatam, ſive θολίαν, ſeu πλέγμα τι θολοειδὲς, εἰς ὀξὺ συηγμένον, ᾧ ἀντὶ σκιαδίου ἐχρῶντο αἱ γυναῖκες, ut deſcribit cum Heſychio Pollux L. VII. §. 174. quibus locis adeantur comment. & hic N. 28. Ab utroque latere adſtat puella, capillis in nodum ad verticem collectis, & ad talos uſque veſtita: quarum una inſtrumentum quoddam oblongum, & in ſumma parte latius, neſcio quod, gerit; *calathum* opinor, non *colum* vel *cyathum*, ut alii: altera rotundam ciſtam praefert. Inſcriptio haec in faſtigio.

ΟΔΗ ΟΔΗ ΟΔΗ
ΜΟC ΜΟC ΜΟC

ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΝ ΛΥCCIN
ΛΕΥΚΙΠΠΟΥ ΛΕΥΚΙΠΠΟΥ

ac ſub ſtatuis in marmore plano,

ΜΕΛΙΤΙΟΝ ΞΕΝΩΝΟΣ

i. e. *Populus* τιφαιοῖ *ſeu honorat Apollonium Leucippi filium. Populus honorat Lyſſin Leucippi* (*filium*, dubito, an *filiam*) *Populus honorat Melition Xenonis filiam*, & Leucippi, ut puto, uxorem.

Olim hunc lapidem poſſedit ampl. Carolus Heidanus, urbis Leid. Coſſ. ab Actis, in cujus antiquarii theſauri catalogo omiſſis multis ornamentis ΛΥCΕΙΝ editur. Inſtrumentum illud, quod calathum dixi, crebro adparet in monumentis feminae dicatis: ut N. 28. & N. 36. 53. In Marmor. Oxon. N. 68.

NUM. 27.

Ejuſdem generis, formae & coloris marmor cum duabus roſis & corona, altum pedes quatuor minus pollice, infra latum pedem cum octo pollicibus, ſupra latum ſeſquipede, craſ-

ſum pedis dimidio. Vir in receſſu ſtat palliatus, cujus caput cidari eſt ornatum, & pedes pulcre ſoleati; ſiniſtra manu librorum tenet volumina. A tergo eſt columna, cui inpoſitum cornucopiae, & alia quaedam rotundae figurae. In utroque latere eſt ſervulus comatus & alte ſuccinctus. Faſtigium eſt abruptum, ita tamen, ut nominis reliquiae ſic adpareant

....ΕΙΔΗΝΣΤΡΑΤΟ...

ΟΔΗ
ΜΟΣ

Olim fuit in hortis Witſenii, Amſtel. Judicis.

NUM. 28.

Ejuſdem faſtigatae formae & coloris marmor, roſis ſertiſque &c. ornatum, trium pedum & octo pollicum altitudinem habens, latitudinem pedis & decem pollicum in inferiore parte, ſupra paullo contractiorem; craſſum eſt circa quinque pollices. In receſſu mulier ſtat, velato occipite, ad imos pedes ſtolata: pone eam eſt ampulla, cithara, umbella, (V. N. 26.) & figura triquetra, quam exiſtimo eſſe *flabellum*, ventulo faciendo vel muſcas abigendo; non *facem*, ut nonnullis videtur. A dextra manu ſtat puer talari in veſte ejuſmodi figuram triquetram geſtans: a ſiniſtra erigitur alta columna, cui inpoſitum illud inſtrumentum, de quo dixi N. 26. ſeu calathus. Hinc alia mulier, ſtolata itidem, in ſella ſedet, dextram elatam gerens, & pedibus, quorum unus e ſtola exſertus eſt, ſcabello nixis. Adſtat ancillula capſam apertam tenens. Supra ſtantem mulierem haec eſt inſcriptio

ΠΩΛΛΑΠΕΡΙΛΙΑ ΙΣΙΔΟΤΗ
ΧΡΗΣΤΗΧΑΙΡΕ

Scripſi ΙΣΙΔΟΤΗ; quia ſic mihi videtur ſculptum, licet quid velit neſciam. In catalogo rei antiquariae Caroli Heidani, qui hoc

hoc monumentum etiam poſſedit, habetur ΙΣΙΣΟΤΑΙ. An ΙΣΙΔΟΤΑ vel ΙΣΙΔΟΤΥ? i. e. *Polla Perilia, Iſidotae filia, bona vale.* Haec quoque monumenta ſunt frequentiſſima. V. Marm. Oxon. p. 78, 81. 129. &c. Sponii Miſc. alioſque, & praeſertim Car. Patin. in monumentis ſupra citatis, *Bouhier.* p. 22. *Spon.* Recherch. des Antiq. p. 235. in 4to. ſupra N. 4. & infra N. 35. Conferri etiam meretur Gemma apud Bern. Montfauc. T. 1. Antiq p. 184. Tab. 118.

NUM. 29.

Urnae quadratae operculum marmoreum, latum tredecim pollices, altum tres & dimidium, craſſum undecim, habens in lateribus duas columnas inſectas, in quarum fronte eſt roſa. In medio eſt foramen rotundum, oleo, ut ajunt, vel unguento odorifero, aut lacrymas ſuper cineres infundendo aptum, cum Inſcriptione

DIS› M›
TERENTIAE LIBERAE P› CLITIVS
EPAPRODITVS› CONIVGI› B› *Sic*
M› F› Q› AN› N› XXV› M› VIII›

i. e. *Diis Manibus. Terentiae Liberae Publius Clitius Epaphroditus conjugi bene meritae fecit, quae annos nata viginti quinque, menſes octo.*

Ex Italia ſecum adtulit J. de Witt.

NUM. 30.

Urna albi marmoris, quadrata & elegans, alta octo pollices, lata tredecim, craſſa novem, profunda plus ſeptem. In frontiſpicii lateribus habet ramulum hederaceum cum baccis introrſus punctis. Inſcriptio haec quadro incluſa eſt,

D· P· AELIO ·M
AVG· LIB· HIERACI·
SECVNDINA· FILIA·
PATRI· PIENTISSIMo
·FECIT·

i. e. *Diis Manibus. Publico Aelio, Auguſti Liberto, Hieraci Secundina filia patri pientiſſimo fecit.*

Caret, ut pleraeque nunc urnae, operculo, quod tamen adhuc reliquum fuit; quum vendita eſt unâ cum ceteris antiquariae rei reliquiis, a Carolo Heidano poſſeſſis: ſi credere licet typis inpreſſo earum indici. At ſine operculo hujus urnae ectypum nobis dedit digniſſimus quoque ejus poſſeſſor, ac politiſſimus vir Jacobus de Wilde Amſtel. in ſignis ſuis antiquis Fig. 56. Nunc praecedens operculum inſervit huic urnae claudendae.

NUM. 31.

Urna albi marmoris rotunda ſtans in orbiculari parva baſi, habens duas ſolidas anſas, & operculum in umbonem deſinens; alta pedem cum dimidio fere, profunda undecim pollices, lata in diametro decem pollices, inſcriptione hac.

DIIS· MANIBVS
Q· FLORII· Q· F· TERETIN· QVINTIO *Sic*
BAEBIA· THAIS· CONIVGI
SVO· CARISSIMO· BENEMERENTI
ET· PIISSIMO· DE SVO· FECIT

i. e. *Diis Manibus. Quinto, Florii Quinti filio, Terentina*, ſcilicet tribu, *Quintio Baebia Thais conjugi ſuo cariſſimo, bene merenti, & piiſſimo de ſuo fecit.*

Ex Italia deportavit ſecum J. de Witt.

NUM.

NUM. 32.

Urna elegantiſſima quadrata, ſed oblongior, albi lapidis, alta octo pollices cum dimidio, lata pedem & quinque pollices, craſſa decem, profunda ſeptem & dimidium, habens grandem encarpum, ſub quo duae aviculae roſtris tenentes fructus. In angulis frontiſpicii ſuperioribus ſunt capita arietina, vinctis cornibus, ac dependentibus taeniis. In utroque latere ſunt rami duo hederacei cum quinque uvis decuſſati, ſive in formam X ſertis ligati. Quae omnia tamen, ut opinor, nihil peculiare ſignificant, & creberrimi ac meri ſunt fabrorum lapicidarum luſus, habentium has urnas venales ſine Inſcriptione, quam emtor pro lubitu addi tunc jubebat. V. & N. 34. 49. 80. In angulis poſterioribus ſunt duae columnae ſtriatae. Tecta eſt faſtigato operculo, quod urnulae figurâ, ex qua acanthi aliaque folia proſerpunt, eſt ornatum, & tres pollices altum: ei a lateribus jacent duae columnae, quaſi anſae ſtriatae & ſerto vinctae. Inſcriptio eſt in eminenti quadro.

D· HATERIVS· FAMVLVS
FECIT· SIBI· ET
POLLENTIAE· PRIMIGENIÆ
CONIVGI· SVAE

i. e. *Decimus Haterius Famulus fecit ſibi & Pollentiae Primigeniae, conjugi ſuae.*

Haec urna ex Oriente allata, & olim in ſe fuit complexa binas ollas, cineribus repletas, atque phialam lacrymalem. In ollis ſine dubio illorum conjugum cineres fuere. Poſſedit eam his in terris primus ampl. Nicol. Witſenius, Amſtel. Conſul: ejuſque deſcriptionem & ectypum, ſed archetypo multum pulchritudine & elegantia cedens, vulgavit ampl. Gisb. Cuperus in Mon. Ant. p. 237. Vide & hic Tab. III.

NUM. 33.

Rotunda albi marmoris, caeruleis venis distincti, urna solidas habens ansas, & operculum artificiose striatum, atque in umbonem desinens, alta pedem & quatuor pollices, profunda decem pollices, lata in diametro decem cum dimidio, pertusa magno foramine. Fundus enim cum basi abruptus est. Folia tria ab utraque Inscriptionis parte prominent.

DIS· M
C· LORANI· GLYGO
NIS· LORANIA
STACTE· FILIO· PIISSI

i. e. *Diis Manibus C. Loranii Glygonis*, seu *Glyconis*, *Lorania Stacte filio piissimo*, nempe fecit hoc monumentum. Ex Italia abduxit J. de Witt.

NUM. 34.

Pulcherrima albi marmoris urna, semirotunda seu theatrali forma, alta octo pollices cum dimidio, lata ultra pedem, crassa novem pollices, profunda septem & dimidium. Ornata encarpo ex foliis, fructibus & conchyliis marinis, taeniis dependentibus. Insident duae aviculae, sese mordentes, quas temere nonnulli cornices vocant. Infra quoque sunt duae aviculae, sed separatae & aversae. In angulis capita sunt arietum. Initio laterum ramusculi hederacei cum uva. Operculum habet altitudine trium pollicum, itidem ornatum aviculis, mutuo conchylium & alia tenentibus, binisque rosis &c. Inscriptio haec parva in exstanti legitur quadro

ACILIA· HYGIA
V· A· XIX

i. e. *Acilia Hygia vixit annos novendecim.* V. N. 51.

Haec

Haec urna, cujus olim in his terris poſſeſſor fuit aliquis *Van der Wolf*, aere ſculpta & edita eſt, ab *Joachimo Oudaan* in libro *de Roomſche Mogendheid* dicto p. 343. Sed nequaquam exacte aut nitide ſatis. Item exſtat apud *Nic. Chevalier* dans la deſcription de ſa Chambre des Rarités p. 127.

NUM. 35.

Sarcophagus pulcherrimus, e ſolido marmore Pario candidiſſimo excavatus, altus duos pedes cum pollice, longus pedes ſex & octo pollices, latus duos pedes cum duobus pollicibus; ſed cum marmor ſit craſſum ultra quatuor pollices, hinc interiore parte longus modo eſt ſex pedes, latus pedem & decem pollices. Averſa pars deeſt, neque umquam adfuiſſe videtur. Frontiſpicium opere toreumatico artificioſiſſime eſt elaboratum, ac ſegmentis quinque diſtinctum, inter ſex tortiles columnas, baſin & capitula ſua habentes. In ſingulis hujus ponderoſae molis ſegmentis, ſeu diviſionibus adparent Servator Chriſtus, & Apoſtoli, ut creduntur, Petrus & Johannes, longis veſtibus induti, cum aliis, quorum depingitur hiſtoria. Ex. Gr.

1. Chriſtus, ut mihi videtur, in cunis jacens, & faſciis involutus, adcumbente Maria, ac porrigente vaſculum, cui unus adſtantium virorum munus injicit. Sed ejus manus dextra cum brachio abrupta eſt. Idem ſiniſtra manu aliud quid porrigit.

2. Chriſtus Petro claves regni caelorum obfert.

3. Mulier, ſanguinis fluxum XII. annis paſſa, veſtimentorum Chriſti laciniam contingit, ejus pedibus provoluta. Pone comparet ſtans in columna, elegantiſſime ad vivum exſculptus, Gallus Gallinaceus. Hic vero non adeſt Joannes.

4. Chriſtus pueris duobus manum inponens iis benedicit.

5. Juvenis genu nixus, cujus humerum Petrus tangit, videtur rogare Jeſum, quid ſibi ſit faciendum, ut aeterna ſalute potiatur.

Intra ſummam marginem & dicta anaglypha variae quoque figurae. Sic in angulis ſunt duo Tritones tubam inflantes, item

avis

avis & cete. In lateribus ſunt Gryphes expanſis alis. In infima margine rotundis & optimis characteribus haec eſt inſcriptio

P. M. S. MARCELLI VRBIS EPISCOPI.

Sive *piae memoriae ſancti Marcelli*, *urbis Epiſcopi*, non *B.* ſive *beatae:* quomodo eſt in ſchedis Uilenbroekii.

De quo Marcello, primo hujus nominis pontifice, initio A. cccx. defuncto, imperante Maxentio, ejuſque ſepultura videte *P. Aringhii* Rom. Subterr. T. II. p. 219. Paparum vitas, & acta Sanctorum.

Eximiam hanc arcam ſepulcralem, cis Alpes fortaſſe unicam, Romae ſummis inpenſis comparavit, & clam ex Italia in Hollandiam magno labore transvehi curavit J. de Witt. poſt cujus mortem emit, & poſſedit Goosw. Uilenbroekius; donec eam ceſſit Papenbroekio.

NUM. 36.

Marmor faſtigatum albi coloris, altum duos pedes & octo pollices, latum pede & ſeptem pollicibus in inferiore parte: ſuperior enim habet modo pedis & quatuor pollicum latitudinem praeter faſtigium: craſſum eſt quatuor pollices. In receſſu mulier lugubri habitu ſedet in ſella; dum nudi brachii ſiniſtra manus innititur menſa, ſtragula veſte tecta: dextra manu dependentes e capite aliquot crines tenet; ſub pedibus habet ſcabellum. Accedit ſerva ciſtam & alia utenſilia gerens, a cujus tergo eſt ara, vel abacus, cui capſa eſt inpoſita, item calathus, aliaque. Infra in medio lapide eſt foramen. In faſtigio ſunt roſarum & ſerti figura, cum hac adhuc legenda inſcriptione,

XA
XAIPE
···ΕΙΣΙΑΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΠΕΡΙΝΘΙΑ

Ubi XA forſan vitioſum eſt pro XP, ſive ☧, ut ſupra p. 26. & paſſim. Olim hoc Epitaphium poſſedit Carolus Heidanus.

NUM. 37.

NUM. 37.

Arcuata albi marmoris lamina, pedem & tres pollices alta, ſeptem & dimidium lata, unum craſſa. Sub corona, a qua dependent taeniae, legitur haec Epigraphe

D M
C· SERVENI
VS· ARTEMID
ORVS· VALERI
AE· PHILIIPPI *Sic*
NAE· CONIVGIBE
MERENTI· FECIT·
CVM QVX VIX *Sic*
ANLS· VI *Sic*

i. e. *Diis Manibus. Cajus Servenius Artemidorus Valeriae Philippinae conjugi benemerenti fecit, cum qua vixit annos quinquaginta, ſeptimanas ſex:* niſi potius vitioſa in lapide ſit littera L· pro I· vel O, & debeat legi ſolum *annis*, vel *annos* VI.
Ex Italia adtulit J. de Witt.

NUM. 38.

Quadrata albi marmoris lamina, pedem alta, pedem & ſeſquipollicem lata, craſſa ſeſquipollicem, cum hoc Epigrammate

D M
NVMMIAE· AELIADI
NVMMIVS· CLYCERVS
FIL
ET AELIADES· FRATER·
BENE MERENTI FECE
RVNT·

i. e. *Diis Manibus Nummiae Aeliadi Nummius Glycerus filius, & Aeliades frater bene merenti fecerunt.*

Itidem ex Italia eſt allata a J. de Witt. Olim fuit Romae, in villa Urſina. Edidit Muratorius T. III. p. MCCLXIX. N. 7. ubi male *Glycerius*. Litterarum N, M, A, ductus jam barbarum quid, Gothicumve referunt.

NUM. 39.

Arcuatus albi coloris lapis pedem & dimidium altus, circa pedem latus, duos pollices craſſus. Inſcriptio eſt undulatis lineis incluſa.

D· M
SYRIAE· MYRTIDI
P· LABERIVS
ABASCANTVS
CONIVGI· B· M· P·
ET· SIBI· ET· SVIS
POSTERISQ· EORVM
LOG· P· X· LAT· P· III *Sic*

i. e. *Diis Manibus. Syriae Myrtidi Publius Laberius Abaſcantus conjugi bene merenti poſuit, & ſibi, & ſuis poſterisque eorum, longum pedes decem, latum pedes tres* ſcilicet ſepulcrum. V. & N. 55. & *Fabrett.* Inſcript. C. 3.
Etiam hunc ex Italia advexit J. de Witt.

NUM. 40.

Elegans marmor candidum, novem pollices altum, latum decem cum dimidio, tres craſſum. In eo exciſa eſt quadratura, in qua hoc Epigramma

D M
CLAVDIAE
SVCCESSAE
VIX· ANN· XXXVI
MENS· V· DIEB· XV
TI· CLAVDIVS· BLASTVS
LIB· SVAE· ET· CONIVGI· B· M·

i. e.

i. e. *Diis Manibus. Claudiae Succeſſae. Vixit annis triginta ſex, menſibus quinque, diebus quindecim. Tiberius Claudius Blaſtus libertae ſuae & conjugi bene meritae.*

Hoc quoque ex Italia deportavit J. de Witt.

NUM. 41.

Albi marmoris lamina, fere pedem alta, octo pollices lata, & nondum pollicem craſſa, undulatis lineis incluſam habens inſcriptionem

DIS
MANIBVS
L· CESTIO· VALENI
VIX· ANN· XV
FEC· MACAREIVS
F· PIISSIMO

i. e. *Diis Manibus. L. Ceſtio Valenti. Vixit annos quindecim. Fecit Macarejus filio piiſſimo.*

Advecta eſt etiam ex Italia ab J. de Witt. Olim fuit Romae in horto ſub vinea Medicea, & e L. Langermanni ſchedis deſcripſit *Thom. Reineſ.* Cl. xv. n. 27. p. 791. ubi minus exacte editur FECIT. V. quoque *Grut.* p. CMLV. N. 9.

NUM. 42.

Marmorea itidem albi coloris lamella, decem pollices lata; quinque & dimidium alta, ac ſeſquipollicem craſſa, ab utraque parte habens hirundininam caudam, & in ea clavorum foramen, quibus monumenti parieti inter ovata ollarum loca fuit adfixa. V. N. 44. 54. 61, 62. Inſcriptio haec eſt,

M· LICINIVS
HERCVLANVS
VIX· AN· XX· H· S· EST
T· R· Q· L· D· S· ILLI· T· L

i. e. *Marcus Licinius Herculanus vixit annos viginti. Hic*

ſitus eſt, tranſlatoque locus datus. Sit illi terra levis. vel quia punctum eſt inter litteras *T. R.* ita poſſet exponi. *Hoc ſitus eſt tumulo, requieſcitque loco dato* &c. vel *Terra regeſta, qua locus datus* &c.

Itidem a J. de Witt ex Italia eſt deportata.

NUM. 43.

Fragmentum marmorei lapidis, albo caerulei, altum pollices ſeptem & dimidium, ſupra adhuc latum ſex & dimidium, infra novem, vix pollicem craſſum. Reſtant hae litterae

D
AVRELIA·····
FECIT· PAT·····
FILIO· KAR·····
QVI VIXIT· A·····
M· V· D· X·····

i. e. *Diis Manibus. Aureliano fecit pater filio cariſſimo, qui vixit A..... menſes quinque, dies decem.*

Ex Italia etiam devexit J. de Witt.

NUM. 44.

Lapis marmoris albi, ſed ſubfuſci, latus ſeſquipedem, altus ſex pollices cum dimidio, craſſus duos fere pollices habens ab utroque latere aviculam rudiſſime raſam, uti & foramen clavis tranſigendis aptum. V. N. 42. Litterae vero inſcriptionis ſunt elegantes & unciales.

CN· FICTORIVS· CN· L
ENIOCHVS
HERENNIA· ↄ·L· STRATEGIS

i. e. *Cneus Fictorius, Cnei libertus, Eniochus, Herennia Cajae liberta Strategis.* de voce *Cajae* ſeu ↄ· adi cl. *Montfauc.*

fauc. in Suppl. Antiquit. T. v. p. 38. infra N. 60.

Roma, ubi in villa Caeſarina vidit, & deſcripſit Gudius p. CCCLVI. N. 16. adtulit J. de Witt: poſt quem poſſedit etiam Eq. Baron. Robert. de Neufville. Edidit quoque *Muratorius* T. III. p. MDLXXXII. N. 9.

NUM. 45.

Tabella e marmore albo ad caeruleum vergente, fere pedem lata, novem pollices alta, unum craſſa, & ſic inſcripta

DIS MANIB
LIVIA· SVCCESSA
VIX·A·VII·MENS·V
DIEB· XV· FECIT
LIVIA· FACETA
VERNAE· SVAE

i. e. *Diis Manibus. Livia Succeſſa vixit annis ſeptem, menſibus quinque, diebus quindecim. Fecit Livia Faceta vernae ſuae,* illi nempe Liviae Succeſſae.

Poſſedit hunc lapidem ill. Conſt. Hugenius; ſed Romae quoque in villa Caeſarina in cippo vidit, & deſcripſit *Gudius* p. CCCXLVI. N. 1. ubi minus exacte MANIBUS editur. Sicut & a *Muratorio* T. III. p. MDXLV. N. 10.

NUM. 46.

Egregium eſt toreuma, & ſepulcrale monumentum Graeci artificii ex Pario marmore, altum pedibus fere duobus, & totidem latum, ac tribus pollicibus craſſum. Cubat in lecto tricliniari barbatus ſenex, ſtragulis uſque ad umbilicum & per ſiniſtrum humerum tectus, qui cum manu innititur duobus pulvinis; dextra manu pateram tenet: ante illum ſtat menſa, ferculis &c. referta. A capite adſtant quatuor viri & una femina, ſicuti & a pedibus, qui ſtragulis eminent, totidem viri & mulier adſtant,

varia aetate, triſti ſatis vultu, & Graecanico habitu veſtiti. A tergo adparent ſex columnae, & in ſuperiore parietis parte quinque tabulae, quarum figurae non amplius ſatis clarae ſunt. In prima tamen videtur eſſe quid inſtar clypei rotundi, in ſecunda mulier, dextra mamma & bracchio exſertis, ſiniſtra manu triquetrum inſtrumentum gerens, de quo V. ad N. 28. In tertia ſimilis femina, in quarta equi frenati caput & collum. In quinta rurſus femina, dextra itidem mamma & bracchio exſertis, eamque manum attollens. Omnes illae mulieres habent crines in nodum contortos. Dolendum eſt, inſcriptionem, plurima ex parte per temporis aliaſque injurias exeſam periiſſe, ita ut has modo litteras eruere potuerim

·····ΑΞΟΓ·····ΑΛΛΟΦΑΝΗΣ ΚΥΔΡΟΓΕΝΕΥΣ
·····Α···ΙΚΥΔΡΟΓΕΝΕΙ ΗΡΩΗ·····

Olim fuit in horto ampl. Amſtel. Conſulis J. Sixii.

NUM. 47.

Fragmentum marmoreum, duos pedes cum dimidio latum, ſex pollices altum, paullo plus pollice craſſum, inſcripta habens duo diſticha, ſive quatuor verſus ſcripturae ſpiſſiſſimae, in qua T & L exhibentur fere, ut I; & A ſine linea transverſa eſt ſculpta.

CONSIMILES FRATRVM IRABEIS
GESTAMINA HONORVM
TERTIA QVAE DERANT ADDI-
DIMVS IIIVLIS

DILECTAE PROBVS HAEC PERSOLVO
MVNERA MATRI
RESIIIVENS SIAIVIS PRAEMIA QVAE
DEDERAT

Sic autem legenda cenſeo.

Conſimiles fratrum trabeis
geſtamina honorum
Tertia, quae deerant, addi-
dimus titulis.

Dilectae Probus haec perſolvo
munera matri,
Reſtituens ſtatuis praemia, quae
dederat.

Ex

Ex quatuor verſibus fecimus regulas octo; quia paginae latitudo non capiebat continuam verborum ſeriem.

Olim fuit Romae apud Cardinalem Caeſium: hinc Boiſſardus lapidem hunc recenſet, at vitioſiſſime, & ſine ullo ſenſu, Parte III. Antiq. p. 75. & poſtea *Gruterus* p. CCCLII. N. 5. Sed ita, quaſi hi verſus eſſent in duabus marmoreis baſibus, ejuſdem fere & magnitudinis & formae; atque in ultima ejus Editione ita proponuntur, quaſi pertinerent ad ſubjunctam Inſcriptionem longam Aniciae Faltoniae. Ceterum bene Gruterus exhibuit, niſi quod loco τῦ DERANT, contracte pro *deerant* ſculpti, vulgaverit DEDERANT, (Boiſſard. DEDERAM,) & quod pro PERSOLVO, praebuerit PERSOLVIT. Recte in prima perſona apud *Boiſſard.* uti & *P. Pithoeum* in Catal. p. 135. vel 113. qui dedit *deerant abdidimus*, atque male ut diſticha continuo ſeſe ſequentia collocavit, & Epitaphii hujus titulum fecit *Anicius Olybrius Aniciae Probae Matri.* Credat, qui vult. Mihi videntur eſſe ultima duo diſticha binorum Epigrammatum diverſorum, quae dirupto lapide perierunt, vel aliorſum ſunt tranſlata. Roma vero avexit J. de Witt: quo fatis perfuncto pervenit lapis emtione ad Eq. Bar. Robertum Neufville, in cujus antiquitatum catalogo aeque ac ſchedis Papenbroekianis monſtroſum in modum proponuntur hi verſus.

NUM. 48.

Album marmor, ſeſquipede latum, pede fere altum, duobus pollicibus & dimidio craſſum. Inſcriptio elegantibus eſt litteris, ac verſibus pollicem diſtantibus, in recedente quadro inſculpta.

D· M
CAECILIA P· L· FELIX
FECIT· P· CVSPIO EROTI
PATRONO· BEHEMERENTI *Sic*
A· D· M· H· M

i. e. *Diis Manibus. Caecilia, Publii liberta, Felix fecit Publio*

Publio Cuſpio Eroti, patrono benemerenti. Abſit dolus malus huic monumento.

Ex Italia adportavit etiam J. de Witt.

NUM. 49.

Urnae ex albo marmore quadratae pars anterior ſeu frons, undecim pollices lata, ſeptem fere alta, ſeſquipollicem craſſa; cujus latera duobus pedibus ungulatis ornantur. In medio pronus adparet Cupido, vel Genius alatus, tenens collari lupum, vel canem mammoſum. Uterque inſidet ac cingitur encarpo, ſub quo binae ſunt aviculae. Supra Cupidinis & animalculi caput in quadrati ſegmenti reliquiis eſt inſcriptionis fragmentum, cui ſuperiora ſunt abſciſa, hoc modo.

ET· FVRIA· LOCHAS L· ET
FVRIA· NOTHIS· L· D· D·

i. e. *Et Furia Lochas liberta & Furia Nothis liberta dono dederunt* nempe hoc monumentum. obſcurum eſt, an *Lochas*, an *Locnas* ſit ſculptum.

Olim fuit apud ampl. Coſ. J. Sixium: quando minutiſſimum ejus ectypum dederunt inter ornamenta Epiſtol. Itiner. *Jac. Tollii* pag. 1. dein poſſedit G. Uilenbroekius: ac tunc adfixa fuit capſulae ligneae, cujus ſuperficie incluſum erat Graeci vel Aſiatici operis anaglyphum, hic occurrens N. 83. quum nihil ad ſe invicem pertineant.

NUM. 50.

Alba tabula marmorea, pedem & quinque pollices alta, pedem & pollicem lata, duos fere pollices craſſa, rudibus litteris vitioſe admodum, ſive ſeculi ita voces pronunciantis barbarie, ſive lapidarii culpa, ſed memorabili titulo, inſculpta

D·

Ecce eum!

D· M· S·
NON SVFFECERAT VNO DOLORE
MISEROS BIBERE PARENTES·
QVOD IAM VNAM NATAM OMISER
ANT ANTE· ECCE NVNC ET ALIAM·
SAEPELITAM VNO DOLOREM·
QVOD IAM PROPE NYPPTV MYSERAE
DEFVNCTAE SVNT AMBAE· SET
QVI DOLOR ABSTE NOBIS HARMO
NIA RVFINA RELICTVM EST· VT ANNI
S· XIII· M· VI· D· XXVI· NOBISCVM AD
VIXERIS VNA· ET NOS OPTAMVS
AD VOS PROPERARE PARENTES·
EQO PATER HARMONIVS IANVA
RIVS CVM BESTRA MATREM·
QVE QEMVIT VIBET ET DOLET CLO
DIA TROPHIME· NEC DVBITA
MVR ENIM VITA· CARERE MO·····

i. e. *Diis Manibus Sacrum. Non ſufecerat* (pro *ſuff.*) *uno dolore miſeros bibere* (pro *vivere*) *parentes: quod jam unam natam omiſerant ante. Ecce nunc & aliam ſaepelitam* (pro *ſepultam*) *uno dolorem.* (pro *dolore*) *Quod jam prope nypptu* (*nuptum* ſeu *nuptias*) *myſerae* (pro *i*) *defunctae ſunt ambae. Set qui dolor abs te nobis, Harmonia Rufina, relictum* (pro *relictus*) *eſt; ut annis tredecim, menſibus ſex, diebus viginti ſex nobiſcum advixeris una. Et nos optamus, ad vos properare, parentes: ego pater Harmonius Januarius cum beſtra matrem, que gemuit, vibet* (pro *veſtra matre, quae genuit,* vel *gemit, vivit,*) *& dolet, Clodia Trophime; nec dubitamur* (pro *us*) *enim vita carere mo...* Facile ſuppleas *moleſta.*

Tabula haec inventa fuit Neapolitano in mari, una cum

parva urna; deinde ante caſam cujuſdam Eremitae fixa, quae Puteolis laeva, qua itur ad Arcum Felicem, medio fere milliario diſtabat. A. MDCLXXXVIII. menſe Februario, noctu a quodam clam ſubrepta eſt, & ultra montes aſportata. Sic ſcribit cl. *Gorius*, qui eam vulgavit Inſcript. Etruſc. T. I. p. 266. uti & *Muratorius* T. II. p. MCLXXI. N. I. at haud ſatis exacte. Quis eam clam ſubripuerit, neſcio. Ampliſſimus certe J. de Witt ex Italia ſecum deportavit, eoque mortuo emit ſibi G. Uilenbroekius, & hinc venit ad Papenbr.

NUM. 51.

Albi marmoris lamella, octo pollices lata, quinque alta, nec pollicem craſſa, in ſingulis latitudinis lateribus habens foramen, clavo inpingendo quod inſerviit, & breviſſimam hanc elegantibus litteris inſcriptionem:

HYGIA
VIX· ANN· IIII

i. e. *Hygia vixit annos quatuor.* V. N. 34. 42.

NUM. 52.

Tabula albi marmoris, pedem & novem pollices lata, ſeptem alta, minus pollice craſſa, indicans alicujus Chriſtianae ſepulcrum, rudi inſcriptione,

DEP· IRENETIS TELEFORVS
XIII KAϚ MAI

i. e. *Depoſita Irenetis. Teleforus tertiodecimo Kalendas Mai.* ſc. fecit, vel ſimile quid ſubintelligitur.

Adtulit ex Italia J. de Witt, poſt quem poſſedit Rob. de Neufville, in cujus antiquariae ſuppellectilis catalogo male exhibetur *Irenietis.* V. *Donii* Inſcript. Cl. xx. N. 7.

NUM.

NUM. 53.

Marmor album faſtigatum ac ſepulcrale, altum pede & novem pollicibus, undecim pollicibus latum, tribus craſſum; in quo duo viri palliati, nudis capitibus comatis, accubant, ſiniſtro cubito pulvinis preſſo, & ſiniſtra manu culullos tenentes. Ad pedes adſidet in ſella pro more mulier ſtolata ac capite velato, pedem in ſcabello tenens, cui miniſtrare videntur duae ſervulae, longis in veſtibus, quarum altera in angulo ſtans tenet calathum, (V. ad N. 26.) altera ante feminae pedes tollit neſcio quid, flabellum forſan. Ante torum ſtat menſa tripes ferculis referta, & juxta eum vas magnum. Tunc in altero lapidis angulo altecinctus puer ſervus cum vaſe vinario. Anaglypho ſubeſt haec inſcriptio

ΜΗΝΟΔΟΤΟΣ ΜΕΝΕΣΤΡΑΤΟΥ
ΜΕΝΕΣΤΡΑΤΟΣ ΜΗΝΟΔΟΤΟΥ
ΔΗΜΗΤΡΙΑ ΦΙΛΟΞΕΝΟΥ

i. e. *Menodotus Meneſtrati filius. Meneſtratus Menodoti filius. Demetria Philoxeni filia.* Sepulti nempe hic erant pater Menodotus cum filio Meneſtrato, & uxore Demetria.

Olim hoc marmor poſſedit Amſt. Coſ. J. Sixius: quando inſcriptionem ejus inſeruit *Jacobus Tollius* Epiſt. Itin. p. 4. ſed prave pro ΜΗ bis exhibens ΖΗ, ac ſcribens ſe lapidum delineationem cl. Almeloveenio commendaſſe. Sed Henr. Chriſt. Henninius, qui Tollii Epiſtolas A. MDCC. edidit, ineptiſſime pag. 20. hanc inſcriptionem adplicuit alii monumento, cujus ectypum ibi dedit, cuique ſubjunctum eſt Graecum Tetraſtichon, in Muſeo Uilenbroekiano p. 290. editum, ac nunc penes celeb. J. P. D'Orvillium cum plurimis venerandae Antiquitatis reliquiis Graecis, Latinisque. Vivus Uilenbroekius hoc, quod hic recenſuimus, jam Papenbroekio ceſſerat.

NUM. 54.

Lamella lapidis caerulei circa quinque pollices alta, ſex cum dimidio lata, atque unum craſſa, in ſuperiore parte habens duo foramina clavis inſerendis: V. N. 42. 51. ac ſic inſcripta,

D M
CL· CASTA
CONIVGI· SVO· CAR
FEC· VIXIT· ANNOS
XXXIII· MENS· II

i. e. *Diis Manibus. Claudia Caſta conjugi ſuo cariſſimo fecit. Vixit annos triginta tres, menſes duos.* Obvia ſunt & alia exempla, ubi deeſt nomen ejus, cui poſitum eſt monumentum.

NUM. 55.

Lapis eſt colore cinereo ad albedinem vergente, valde exeſus, ſalvis tamen litteris. Altus eſt pedes duos, latus pedem & duos pollices, craſſus duos pollices fere cum hac Epigraphe:

LOCVS· SEPVLTVRAE
DATVS A PROCVRT· *Sic*
DIIS MANIBVS
CORNELIA ET SMYRNA
FECET· SIBI· ET· SVIS POST· *Sic*
ET NEPTVNALIS· CAESAR

IN P· P· VIII *Sic*
IN AG· P· VIII

i. e. ut puto. *Locus ſepulturae datus a procuratore Diis Manibus. Cornelia & Smyrna fecerunt ſibi, & ſuis poſteris, & Neptunalis Caeſar. In fronte*, ſive latitudine, *pedes octo. In agro*, ſive longitudine, *pedes octo.* Ut paſſim. V. N. 39. & de ho-

honore ejus, qui ſepulcri locum donaverat, praeter alios Fabretti Inſcr. C. III. p. 153. &c.

In Italia hoc quoque monumentum comparavit J. de Witt.

NUM. 56.

Marmoreum lapidis albi fragmentum quadratum ſex pollicum & dimidii, paullo plus pollice ſive uncia craſſum.

····EVCARPO
····ſER· ET· CLAV·
····X· ET· TI· CLAV·
····ſ· FL· TITIA· FILI·
····REN· FECERVN
····OSTERIS· Q·
···· M·

Ex primis verſibus ſani quid difficulter exſculpſeris: ſequentes ſic facile ſuppleas: *Et Tiberius Claudius, & Flavia Titia filiis parentes fecerunt poſteriſque hoc monumentum.* niſi potius plura deſint. Paſſim in monumentis occurrit *Claudius Felix.*

Ab averſa parte, latitudine priore in altitudinem mutata, legitur hoc fragmentum

CIC
INFANTI
OP· ET· D· F·

Sive *Infanti optimo & dulciſſimo filio.* Quales lapides ab utraque parte inſcripti, & violatorum ſepulcrorum exempla, haud raro occurrunt. Itidem ex Italia advexit J. de Witt.

NUM. 57.

Ara ſepulcralis elegans ex albo marmore, cui ſuperior pars eſt diffracta, ita ut ſummi primarum vocum ductus paullum evanuerint. Adhuc eſt alta pedem & octo pollices, habens

nunc modo cavitatem quadratam trium pollicum profunditate; lata est in basi pedem & tres pollices, supra ferme pedem. Crassa est in basi pedem & duos circa pollices. Dextro latere seu pariete eminet guttus seu phiala, sinistro patera, a tergo olivae habet arborem, & in fronte hanc inscriptionem;

DIS· MAN
Q· FVLVIO ◊
FESTO
VIXIT· ANNIS
XLII· DIEBVS· V·
FEC· FVLVIA
CHRYSIS· FILIO
PIISSIMO
ET· SIBI

i. e. *Diis Manibus. Quinto Fulvio Festo. Vixit annis quadraginta duobus, diebus quinque. Fecit Fulvia Chrysis filio piissimo & sibi.*

Roma advexit J. de Witt. ubi olim conspicua fuit in vinea marmorea, atque edita inter Doniana a *Gorio* Cl. x. N. 110. & *Muratorio* T. II. p. MCLXIX. N. 5. sine ornamentis & folio post *Fulvio*: de quo librariorum, ad distinctionem talia folia adhibentium, lusu consule *Fabrett.* Inscr. p. 118.

NUM. 58.

Tabula albi marmoris ad caeruleum vergentis, lata pedem & tres pollices, alta septem & dimidium, paullo plus pollicem crassa. Litterae inscriptionis sunt uncialibus majores.

D· M·
P· CAESIO· EVTYCHETI·
FIL· B· M· Q· V· A· XX· II· M· X· D· XXIV·
H· I·I·I· FONTEIVS EVTYCHES
ET· HELPIDVS PARENTES· D·

i. e.

i. e. *Diis Manibus. Publio Caesio Eutycheti, filio benemerenti, qui vixit annos viginti duos, menses decem, dies viginti quatuor, horas tres, Fontejus Eutyches, & Helpidus parentes dederunt.* Nempe naturalis pater Fontejus Eutyches, &, qui Publium Eutycheten adoptaverat, Caesius Helpidus vel Helpidius, ut *Caesia Hel.* & *Caesius Hel.* in Inscript. apud Jul. Jacobon. App. de *G. Caesiorum* p. 217.

Ex Italia asportavit quoque J. de Witt. Possedit etiam Rob. Neufville.

NUM. 59.

Tabula albi marmoris quadrata decem pollicum in altitudine ac latitudine, & pollicem cum quadrante crassa, atque sic insculpta

D M
LVCILLIANO· FIL
ADIVTOR· ET MAR
CIA PAR· QVI· V· A·
IIII· M· VIIII· D· XV
BENAE· M· FECER *Sic*
EX CORPORAE *Sic*
SVBAEDIANO

i. e. *Diis Manibus. Lucilliano filio Adjutor & Marcia parentes, qui vixit annos quatuor, menses novem, dies quindecim, benemerenti fecerunt ex corpore Subaediano.* Corpus illud seu collegium *Subaed.* quale fuerit, ignoro plane; nec conjecturis indulgere vacat.

Olim fuit in villa Ursina, & a Jano de Witt ex Italia huc est devecta, atque minus exacte edita per *Muratorium* T. II. p. MCCXXXV. N. 8.

NUM.

NUM. 60.

Alba marmorea lamina octo pollices lata, quatuor alta, ac pollicem craſſa cum hac inſcriptione,

POSTVMIA· P· L· MVRTIS
P· POSTVMIVS· P· L
EVDAMVS· F
V· POSTVMIA· C· L· LESBIA

i. e. *Poſtumia, Publii liberta, Murtis. Publius Poſtumius, Publii libertus, Eudamus. Fecit viva Poſtumia, Cajae liberta, Lesbia.* V. *Fabr.* Inſcr. C. 1. p. 31. &c. ſupra N. 44.

Itidem J. de Witt ex Italia adtulit.

NUM. 61.

Similis lamina, prope novem pollices lata, ſex & dimidium alta, nondum pollicem craſſa, ab utraque tertiae vocis parte habens clavi foramen (V. N. 42. 54.) & inter undulatas lineas inſcriptionem;

DIS· MANIBVS
LAVRO
P· CAVCILI CELERIS
VERN· VIX· ANN· XIII· M· III
CAVCILIA· COMPSE· MATER
FILIO· DVLCISSIMO

i. e. *Dis Manibus. Lauro, Publii Caucilii Celeris vernae. Vixit annis tredecim, menſibus tribus. Caucilia Compſe mater filio dulciſſimo* ſcilicet poſuit hoc monumentum. *Caucili* & *Caucilia* videntur ſculpta pro *Caicili* & *Caicilia;* & haec pro *Caecili* & *Caecilia:* ut ſaepe in Inſcriptionibus.

Ex Italia advexit J. de Witt, eoque defuncto emit Rob. de Neufville.

NUM.

NUM. 62.

Marmoreus caeruleo colore lapis, pedem & pollicem longus, octo pollices altus, ſeſquipollicem craſſus: eminent hirundininae caudae, in quibus foramina ferreorum clavorum fragmentis plena. V. ſupra ſaepius. Hoc adeſt Epigramma.

VOLVSIA· FADAE· L· VRBAN
HILARI· CAESARIS GAEI
IN HONOREM· HILARI· OLAM
ET· LOCVM· SEPVLT· EX· OMNIVM
D· D

i. e. *Voluſia, Fadae liberta, Urbana*, conjux (ut exiſtimo) *Hilari*, liberti *Caeſaris Gaei* ſive *Caji* (forſan *Caligulae*. v. Grut. p. 188,7) *in honorem Hilari olam*, ſeu *ollam*, & *locum ſepulturae ex omnium Decurionum decreto* nempe dedit vel comparavit. ut paſſim in Inſcriptionib.

Itidem ex Italia, ubi olim fuit in villa Caeſarina, deportavit J. de Witt: in cujus Bibliothecae & Antiquariae ſuppellectilis auctione emit G. Uilenbroekius, quo mortuo ſibi adquiſivit Papenbroekius. Male vero in Catalogo Uilenbroek. exhibetur VRBAN HILARIS, item CAII &c. OLAM &c. SERVET· Rectius e ſchedis Franciſci Ptolomei deſcripſit Muratorius, qui tamen plene dedit OLLAM, in T. II. p. MXVII. N. 10.

NUM. 63.

Parium marmor faſtigatum, altum pede & ſeptem pollicibus, latum paullo plus pede, craſſum ultra tres pollices. In faſtigio eſt roſa, & infra eam corona. In receſſu puer ſtans dextra manu uvam porrigit, cane ad eam quaſi ſaliente; ſiniſtra veſtem longe ſupra genua levat. In angulo ſiniſteriore eſt arbor, cui circumvolutus ſerpens capite prominet. In altero angulo plorans in longa veſte ſtat puellus. Sub corona haec nomina

ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΗΡΟΔΟΤΟΥ

i. e. *Apollonius Herodoti filius.*

Ejus ſepulcralis monumenti poſſeſſor olim fuit Carolus Heidanus. Similia vide ad N. XVIII.

NUM. 64.

Tabula lapidis caerulei albo mixti, quadrata, & decem pollicibus paullo major, pollicem craſſa cum hac Epigraphe

SEX· TRVTTEDIO·SE FIL.
POL· MAXIMIANO
EVIT· AD SVPEOS· MENSES VII Sic
TRVTTEDIVS· CLEMENS
TRIB· COH· II· VIG
ET· MARRINIA· PROCVLA
FILIO· KARISSIMO

i. e. *Sexto Truttedio, Sexti filio, Pollia* ſcilicet tribu, *Maximiano, evit. ad ſupeos menſes ſeptem Truttedius Clemens, tribunus cohortis ſecundae vigilum* (ut ſaepe) *& Marrinia Procula filio cariſſimo*, nempe poſuerunt.

Poſſedit hunc lapidem ill. Conſt. Hugenius. Olim fuit Romae in aedicula S. Coſmi & Damiani juxta Minervam; ut docet Gruterus p. DLXIII N. 12. vel ad D. Bilianae, ut tradit Fabrett. Inſcr. Cap. IV. p. 264. ſed male ait Gruterus fuiſſe in urna marmorea, ac multis in litteris eam Inſcriptionem uterque non exacte exhibent: licet contulerit Gruterus cum MSS. Urſini & Pighii. Edit. enim Gruter SEX· F· & pejus Fabrett. RVTTEDIO SEX· FIL· item FVIT AD SVPEROS MENSES VII· Fabrett. APVD & MENS· VI· ut *ad ſuperos* ſignificaret *inter homines, in vita*, ſive *apud ſuperos*, qui ſaepe inferis ſeu mortuis opponuntur. Atque eo hunc ipſum lapidem ex Fabretto citat Cl. Burm. ad Vell. L. II. C. 48. *Quam apud ſuperos habuerat magnitudinem, inlibatam detuliſſet ad Inferos.* Nec refragor. Sexcenties *ad* pro *apud* poni-

ponitur. quid? ſi tamen ſculpi debuiſſet EVIT· AB SVPERIS MENS· VII ſive *evitato ab ſuperis menſe ſeptimo* i. e. e vita rapto a diis. v. Elmenh. ind. ad Apul. & Beroald. L. III. Met. *validos evitaſſe juvenes*, ut in MSS. Flor. non *enecaſſe*. De quo alibi. Ut ES male fuerit ſuperpoſitum. Si veteres credidiſſent, privatos & infantes mortuos in caelum venire, placeret alia quoque conjectura IVIT AD SVPEROS MENSE VII· Nunc non. Sed heus! manum de tabula. Dein prave Fabrett. T· RVTT· & MARTINA· V. Grut.

NUM. 65.

Chriſtiani puelli monumentum in rudi lapide coloris ex albo & caeruleo mixti, pedem & ſeptem pollices lato, novem pollices alto, unum craſſo. In umbilico adparet avicula, nempe columba, S. Spiritum deſignans, inpolitiſſime expreſſa; atque Inſcriptionis litterae, vocis praeſertim ſecundae, magis raſae ſunt, quam ſculptae, & inordinate locatae, ac vitioſae, ut *bone*, *bixit*, *meſis* ex iſtius ſeculi pronunciatione.

PAVLVS ASCLEPIVS
BONE
MEMO hic avi- BIAE
QVI BI cula. XIT ME·
SIS VI· DI· EBVS· X· VIII
NATVS· VIII KALENDAS OCTOBRIS

i. e. *Paulus Aſclepius Bonae memoriae, qui vixit meſis* (pro *menſes*) vel *menſibus viginti uno, diebus octodecim. Natus octavo Kalendas Octobris.*

Ex Italia adportavit J. de Witt. V. ſimilem ſcripturam in Marm. Piſaur. p. 66, 67. & Fabr. Inſc. Cap. VIII.

NUM. 66.

Fragmentum lapidis, mulieri Chriſtianae poſiti, mixti quoque ex albo & caeruleo coloris, & quaſi ſcindulari materia, duos pedes & pollicem latum, decem pollices altum, & ſeſquipollicem craſſum.

craſſum. Ab ſiniſtro inſcriptionis, quae majoribus pollice litteris vitioſe eſt ſculpta, latere habet palmae ramulum, & ab utroque tertii verſus latere vulgare ſervatoris cruci adfixi ſignum.

TIBVTINAE FILAE DVLCI
SSIME· POSVIT· OBIIT· IDIBV
X IVN· VIX· AXXI· M· II· DVX

i. e. *Tibutinae filae dulciſſime* (pro *Tiburtinae filiae dulciſſimae*) *poſuit. Obiit Idibus Juniis. Vixit annos viginti unum, menſes duos, dies quinque.*

Poſſedit illum diu Hagae Com. Ill. Conſt. Hugenius.

NUM. 67.

Marmorea arula alba rudioris operis, alta circiter decem pollices, lata in baſi pollices octo cum dimidio, & craſſa ſex; ſed ipſum arae corpus in latitudine & craſſitie eſt pollice minus. In dextro arae latere ſtat vir veſtitus, ſiniſtra manu florem, dextra neſcio quid tenens. In laevo arae latere ſtat nudus puer paſſis manibus expanſum velum ſuper caput levans. In ſuperficie rotunda quaedam eſt excavatio, quae ſigni olim inpoſiti veſtigium praebet, dedicati per hominem Graeculum deo loci tutelari, in quo Latine loquebantur. Sic autem ſe habet,

LOCO PEREGRE
DEV· DEBES· ROGARE
VT· POSSIS· SALBVSSA·
NVS ATTVOS REVERTI
ΑΡΙΦΙΑΟC

In baſi erant quidam characteres, quos non bene adprehendere, aut legere, nec exprimere potui.

i. e. *Loco peregre ſeu peregrino Deum* (millies *m* omittitur) *debes rogare, ut poſſis ſalvus* (*b* rurſus pro *v*) *ſanus ad* (*t* loco *d* paſſim) *tuos reverti. Ariphilus* ſc. dono dedit vel dedicavit.

Dubito,

Dubito, an characteres in basi designent pondus & pretium signi, quod huic lapidi fuit superpositum, ut N. xx. Ex Italia advexit J. de Witt.

NUM. 68.

Ara sepulcralis marmoris albi pulcherrima, summique nitoris, tres pedes alta, latitudine & crassitudine aequali, sesquipedis scilicet; ab quatuor lateribus ornata capite bubulo, taeniis & encarpo. In superficie habens amplum foramen hemisphaerii instar, & decem pollices profundum, a cujus binis lateribus clarissima adparent vestigia, sive innexi altaris, cui sacrificium fuit inpositum, sive operculi, sub quo cineres & ossa fuerunt condita. Inscriptio est Graeca feminae & viri, hominum libertinorum, ac Latina ejus, qui hanc aram in Graecia vel Asia minore fieri curavit, ex gente & familia Atilii Longi;

ΑΤΕΛΛΙΑ ΧΑΡΙ
ΤΙ ΟΝ

Caput
bubulum
&c.

ΓΝΑΙΟΣ Δ
ΑΤΕΛΛΙΟΣ
ΠΟΛΥΒΙΟΣ

In infima basi

CN· ATELLIVS· CN· F· PAL·
LONGVS· VIVOS· SIB·

i. e. *Atellia Charitium; Gnaeus Δ Atellius Polybius. Cneus Atellius Cnei filius Palatina*, scilicet tribu, *Longus vivus* (o pro v millies) *sibi* scilicet posuit. ut passim *sibi & suis ac libertis posterisque eorum.* Vide supra. Quid velit sibi hic loci littera Δ, nescio. At vagis vanisque conjecturis parco.

Hujus arae Graecam inſcriptionem, omiſſa Latinae Epigraphes, ut & ipſius arae, mentione, protulit Jac. Tollius in Epiſt. Itin. pag. 5. quum ea exſtabat apud ditiſſimum mercatorem Amſtelaed. Philippum de Flines. Papenbroekianae ſchedae docent, ejus poſſeſſorem quoque fuiſſe ampl. Joannem Sixium, Amſt. Conſulem.

NUM. 69.

Grandis lapis cinerei coloris, (quali omnes fere in noſtra patria reperti. V. N. 6.) ferme tres pedes altus, in inferiore parte latus ſesquipedem, ac novem pollicem craſſus, in ſuperiore pedem ac quatuor pollices latus, ibidem ſeptem pollices craſſus. Inſcriptionem habet litteris duorum pollicum altitudinem excedentibus inſculptam.

IN· H· D· D·
GENIO CLE
GI PEHEGR *Sic*
VLP· DECEM
BER ET VƎ···
CVND· COR
NVTVS D· D·

i. e. *In honorem domus divinae* (ſive Auguſtae, ut paſſim) *Genio Collegii Peregrinorum* (inſtitorum nempe & mercatorum venalitio) *Ulpius December & Verecundus* (ut puto) *Cornutus dono dederunt.*

Hac monumentum in Hadriani foro, ſive pago Voorburg prope Hagam A. MDCXXIV. XV Novembris repertum eſt, teſte ac deſcriptore Thoma Segetho; ac ſimulac transferebatur lapis, medius in duas partes eſt diruptus: uti ad calcem ſui exemplaris Inſcriptionum Gruterianarum ſua manu notavit Petrus Scriverius, hujus lapidis olim, ni fallor, poſſeſſor. Ejus inſcriptionem ediderunt *Gothofr. Hegenitius* in Itin. Friſioholl. in fine, *Marc. Suer. Boxhornius* in Theat. Holl. p. 178. *Thom. Reineſ.*

Reineſ. Inſcript. Cl. 1. N. 160. *J. Sponius* in Miſcell. Er. Antiq. p. 62. ſed nemo ſatis exacte, & ut vere refert lapis. De *Genio collegii* v. Reineſ. C. 1. N. 167. 302. Don. C. IX. N. 35. Gud. p. LXVI. N. 10.

Sequuntur nunc eodem, quem ſupra tenuimus, ordine Toreumata & Anaglypha, litteralibus notis & inſcriptionibus carentia, uno alteroque excepto, in quo paucae litterae reſtant.

NUM. 70.

Sepulcrale monumentum e candidiſſimo marmore faſtigatum, ſex pedes & dimidium altum, tres pedes latum, & novem pollices craſſum, ab utroque latere habens columnam, per duas altitudinis partes ſtriatam, & baſi ac capitulo praeditam. In receſſu ſtat juſtae magnitudinis mulier, talarem ſtolam magnificam & operoſam induta, dextri bracchii, cujus manum ad caput adtollit, humerum repoſitum habens in laeva manu. Mulieris facies eſt detruncata, nec ulla nunc adparet inſcriptio. Olim ex Aſia hoc monumentum eſt adlatum ampl. Amſtel. Conſuli J. Sixio, ejuſque ectypum aliquatenus expreſſum eſt in tabula ornatrice Itiner. Epiſtol. Jac. Tollii. Nunc in Academico horto inſiſtit arae Jovis Exſuperantiſſimi, de qua N. 1.

NUM. 71.

Vas Parii marmoris rotundum ſine fundo, pedem altum, capacitatem habens pedis & trium pollicum inferiore parte; ſed ſurgit contractius. In eo pulcherrime ſculptum eſt ſenile Oceani caput, (V. N. 78.) horridum barba, & capillis, e quibus prominent duae anguillae: in ore eſt foramen. Ab averſa parte in undis fluctuat navicula, in qua duo alati Cupidines, quorum unus remigat, alter reti in mari jacto piſcatur. Ab utroque latere in ſcopulo ſedet piſcator nudus, ſed pudenda faſciis

faſciis in ſe complicitis velatus, ac caput tectus petaſo vili, ut in nummo Theſ. Brand. T. III. p. 74. v. ad Petron. C. 3. arundine & lino piſcem e mari trahens; dum juxta ipſum ſtat caniſtrum.

Ex Italia devexit J. de Witt. ac videtur inſerviiſſe cuidam aquarum receptaculo, atque emiſſario in fonte Neptuni, ad forum piſcarium. Male in Catal. Witt. anguillae dicuntur eſſe cancri chelae. Nunc hoc monumento inſiſtit ſuperinpoſita ei Herculis ſtatua, Sect. II. N. 1.

NUM. 72.

Zophori, ut videtur, fragmentum e candido marmore, latum duos pedes & quatuor pollices, altum pollices decem, craſſum duos; in quo Thetis vel Amphitrite conſpicitur, anterius corpus pube tenus nuda, ac dextra manu ludibunde faſciam aut velamenti partem tenens, ac ſiniſtro brachio ſuſtinens longum baculum ſeu haſtam, in cujus ſuprema parte eſt globulus. Ipſa per mare vehitur, dum inſidet caudae Dei nudi marini, ſive is Peleus ſit, ſive Glaucus, aliuſve, qui ad umbilicum ſquamis obſitus in piſcem deſinit, dextra manu navis apluſtre tenens. A dextro latere ſunt caput, pectus & primores pedes monſtri marini hircinis cornibus. A laevo alatus Cupido delphino inſidet natante, cui & dextra manus innititur, ac laevâ tenet clauſam pharetram, loro involutam. In aëre volat Cupido, ſive alia alata figura, cui caput abruptum eſt, tenens accenſam lampada, quam ei deus eripere marinus vult ſiniſtra manu.

Olim fuit conſpicuum in aedibus Ampl. J. Sixii: ejuſque Ectypum aere ſculptum eſt in Gazophylacio nugacis hominis, Nicolai Chevalierii, Fig. 116. Mihi tamen aliquantum ſuſpecta eſt ejus antiquitas.

NUM. 73.

Sepulcralis monumenti marmoreum fragmentum, adhuc, qua latiſſime patet, pedem circa latum; qua altiſſimum eſt, pedem cum ſeptem pollicibus altum, duos pollices craſſum. In quo duo viri nudi pube tenus, alter poſt alterum, menſae quadra-

tae

tae & ferculis onuſtae in lecto accubant, binis pulvinis ſiniſtrum humerum innixi. In ſiniſtro angulo ſtat puer formoſiſſimus, omnia corporis membra nudus, ac ſiniſtra manu demiſſa gerens, ut videtur, matulam, vel aliud vas concavum. Adſtat in baſi cantharus anſatus, & ſumma arte ſtriatus.

NUM. 74.

Fragmentum antiqui marmoris, altum pedem cum duobus pollicibus, pedem latum, duos pollices craſſum; in quo ſtat vir, ſic ſatis a lateribus & tergo nudus, ſiniſtra manu grandem tenens clypeum, vel arcum aliudve inſtrumentum, cujus exterior margo ſola adparet, ſe incurvans, & prominens extra dependentem veſtis laciniam; dextra nuda porrigit pateram ſtolatae mulieri, quae dextra ovatum demittit cantharum. Utrique caput & humeri deſunt.

NUM. 75.

Sepulcralis monumenti marmoreum fragmentum, ſeſquipede latum, pede & novem pollicibus altum, tribus pollicibus craſſum; in quo ſenex palliatus ſedet in ſuggeſtu, qui pulvino & dependente ſtragula eſt inſtratus: innititur ſiniſtro cubito, ſcabellum premens pedibus eleganter ſoleatis. In utroque angulo ſtat altecinctus puer. Abrupta ei eſt inſcriptio; niſi quod ſuperſint litterae Graecae

—HN

Hoc marmor olim ex Aſia minore allatum eſt ampl. Conſuli Amſtel. N. Witſenio per nobiliſſimum virum, qui publice mercatorum negotia Zmyrnae Conſulis nomine curavit, de Hochepied.

NUM. 76.

Grande Zophori fragmentum ex albo marmore, artificioſiſſimi laboris opus, altum duos pedes cum dimidio, latum tres pedes & totidem pollices, novem pollices craſſum. Ejus

frons acanthi foliorum ſerie eſt ornata: in medio ſculptus eſt ſertoque ornatus Silenus, adeo ebrius, ut nutent genua, & ſuſtentari debeat a duobus Faunis. Dextra tamen unius Fauni tergo brachioque incumbens tenet vaſculum anſatum. Ab utraque parte adeſt ſaltans Faunus, uterque nebridas late fluentes induti, quorum unus vinariam tenet amphoram. Hoc Bacchicorum orgiorum monumentum ex Italia ſecum adtulit ampl. J. de Witt.

NUM. 77.

Sepulcralis monumenti marmoreum fragmentum, altum pedem & novem pollices, pede latum, tres pollices craſſum, elegantiſſimum, & artificii egregii, in quo vir togatus ſtat, dextram inponens Hermeracli, ut ſupra N. 18. laeva togam ſuſtinens. Puer ei porrigit libri volumen. Ante Hermeraclis baſin ſtat alius ſervus, arcam aperiens, quae plena eſt erectis membranarum voluminibus. V. N. 25.

Olim per nobiliſſ. de Hochepied ex Aſia devectum & ampl. Witſenio donatum, ut N. 75.

NUM. 78.

Fragmentum marmoreum, ſeptem pollices altum, pede latum, quatuor pollices craſſum: in quo barbatus & pálliatus vir ſedet, ambabus manibus tollens nudum infantem, &, ut videtur, a partu recentem. Contra illum reliqui ſunt nudi pedes feminini. Infra ſtat vas rotundum. In ſiniſtro angulo caput Oceani horridum. V. N. 71.

Advexit ex Italia J. de Witt.

NUM. 79.

Antiquum vas, ex Pario marmore, altum pollices novem, pedis capacitate in diametro, in ſuperiore margine rotundum, ſed deſinens in fundum ſexangulum; ornatum anaglypho artificioſiſſime fabricato, totum vas ambiente, in quo ſex columnae,

lumnae, intervallo tenui ab ipſo vaſe ſeparatae, quarum duae ſunt diruptae. Sunt Corinthii ordinis omnes, cum baſibus & capitulis, acanthi folia praeferentibus, ac ſuſtinentes fornices affabre factas cum iiſdem ornamentis, uti & in fundi margine. In ambitu inter columnas ſunt ſex viri ſuperiore veſte, ad pedes quaſi fimbriatim plicata, & ab ſiniſtris humeris dependente, tunicaque induti, qui omnes videntur functi fuiſſe officiis domus Auguſtae Orientis, ut a bibliotheca, penu, poculis, armis &c. Nam unus ſiniſtra manu fert libellum, alter ſuſtinet capſulam, tertius dextra oſtentat annulum, quartus utraque manu habet vaſculum ab una parte anſatum ſeu phialam, quintus laeva galeam ſuſtinet. Prae reliquis quinque conſpicuus eſt unus ſellae inſidens, urnulam portans manu ſiniſtra, Proximum & Procuratorem repraeſentans. In ſellae lateribus utrimque leo eam ſuſtinens adparet. In vado & ſub columnis ſunt foramina, clavis inmittendis apta; unde videtur olim inſtitiſſe columnae.

Admirandum hoc monumentum ex urbis Amſtelaed. foſſa per coeni vectorem aliquando eſt erutum, & ab illo diu adhibitum pro foculo, qui in ejus ſtabat navigio: uti Schedae Papenbr. me docuerunt. Vix dubito, quin Graecis vel Aſiaticis ab oris advectum, infelici caſu illic in aquam deciderit.

NUM. 80.

Sepulcralis urna ex albo marmore, caeruleis venis diſtincto, formae theatralis ſive ſemirotundae, in fronte lata pedem ac tres pollices, pedem craſſa, alta pedem ac duos pollices. Exſculptum eſt quoque quadrum, inſerviturum inſcriptioni; ſed illa caret. Quales reliquae ſunt multae.

NUM. 81.

Graeci Epitaphii fragmentum marmoreum, altum duos pedes, latum pedem & novem pollices, quatuor pollices craſſum; in quo palliatus vir & ſtolata mulier ſtant, & altera ſtolata mulier in ſella ſedet, pedibus ſcabello nixis. A dextro viri latere ſtat altecinctus puer, a ſedentis feminae latere puella in longo veſtitu.

NUM. 82.

Toreumatis fragmentum, decem pollices altum, octo latum, ſeſquipollicem craſſum, exhibet haſtatum juvenem, equo vel jumento inſidentem.

Ejus poſſeſſor fuit quoque ampl. J. de Witt.

NUM. 83.

Parvum, ſed elegans anaglyphum, ſex pollices altum, & octo latum, nec pollicem craſſum; in quo ſedent ſuperbe ſtolatae, prominulis mammis, duae mulierum imagines, quarum altera manu dextra tenet pateram; altera dextram leoni ad latus ſtanti inponit, ſiniſtra neſcio quid habens. Olim poſſedit ampl. J. Sixius, & ſuperpoſitum fuit capſulae ligneae, qua incluſa quoque erat inſcriptio, recenſita N. 49.

NUM. 84.

Elegans toreumatis fragmentum, pede latum, novem pollices altum, ac quatuor craſſum; in quo nudus Hercules brachio ſiniſtro ſuffocat, ſeu elidit leonem. Quod ſecum ex Italia detulit ampl. J. de Witt.

NUM. 85.

Fragmentum marmoreum, altum pedem & quatuor pollices, octo pollices latum: in quo mulier ſtat ſtolata, & in angulo ſiniſtro puella lugens in longa veſte. Monumenti ſepulcralis Graeci videntur reliquiae. Sed in prominente lapidis margine leguntur hae litterae, recentioris, ni fallor, aetatis

R · A · R · E · C ·

NUM. 86.

Mulier marmorea ſine vero capite, quod dein affictum eſt argillaceum, ſeſquipedem alta. lapis ſeptem pollices eſt latus. Cum dextro humero anterius corpus pube tenus eſt nudum. Cetera talari veſte, artificioſiſſime plicata, induitur.

BREVIS LEGATI PAPENBROEKIANI DESCRIPTIO.

SECTIO II.

Statuas, Signa, Imagines, Capita deorum, illuſtriumque virorum &c. complectens.

NUM. I.



Marmorea Herculis nudi & barbati ſtatua, Farneſiani Herculis inſtar, ſed minori forma; tres fere pedes alta, in baſi pedem lata, e marmore albo. Hercules nutante paullum in laevum capite, ſiniſtro brachio demiſſo innititur clavae, juxta quam dependent leonis exuviae, quibus & clavae ſuperior pars eſt tecta, iiſque incumbit Herculis axilla. Poſt nates dextras reflectit manum dextram, in qua jacent tria Heſperidum mala, quae hinc non comparent in figura inter ſignorum veterum Iconas, olim ab ampl. Viro Gerardo Reynſtio, Amſt. urbis ſenatore & judice, col-

lectorum, ab adversâ solum parte expressa N. 7. Ed. pr. Sed eodem nonnumquam gestu, iisdemque cum pomorum spoliis, in nummis ac gemmis quoque conspici, notum est. Fuit etiam in Museo Andreae Vendrameni.

NUM. 2.

Marmor candidissimum & artificiosissimum, altum tres pedes ac tres pollices, in basi latum pedem & decem pollices, referens pulcherrimum Bacchum nudum, cui caput hederacea corona & baccis est redimitum, capillis per humeros undantibus; manu sinistra extensa tenet vasculum, latum marginem habens (sed quae recentioris est fabricae.) Dextrum brachium, cujus manus demissa tenet uvam, incumbit humeris nudi Fauni, in modum puellae comti, ac Baccho minoris, qui venuste adridet Baccho, eumque sinistro brachio medium amplectitur, dextro inflexo sustinet pastorale pedum. Inter pedes sedet tigris, ore hiante, & quasi ululante, Deum suspiciens. Pone conspicitur arboris truncus, uvis & pampinis vestitus. Harum imaginum, quae olim Amstelaedami in aedibus eximii pictoris Gerardi Ulenborgh fuerunt, delineatio comparet in signis Johannis Episcopii F. 63. editis Hag. A. 1671.

NUM. 3.

Alia Bacchi statua marmorea, non minus pulchra, tres pedes & novem pollices alta, cujus basis pedem cum tribus pollicibus est lata. Caput ejus, virginea facie, hederae quoque foliis & baccis est redimitum, capillis defluentibus; sed non ex eodem marmore, quo reliqua statua. Ei a laevo humero per tergum, & infra pubem ad imos pedes dependet palla. Cetera corporis nuda sunt. Sinistra manu in altum porrectam tenet uvam, dextra manu incumbit dextro humero nudi Satyri, nisi quod dorsum palla dei sit tectum. Is Satyrus venustissime dei uvae adridet, & pedum pastorale sinistra manu super brachium tenet.

Olim fuit in aedibus Henrici Scholten, Societatis Orientalis Indiae Curatoris. Ejus ectypum delineatum quoque conspicitur in signis J. Episcopii F. 67.

NUM.

NUM. 4.

Marmorea mulieris juſta magnitudine ſtatua, quinque pedes alta, cujus baſis lata eſt duos pedes cum duobus pollicibus. Capilli, undulatim diſpoſiti, diademate vincti ſunt. Ab humero ſiniſtro pendet palla, qua artificioſiſſime plicata tectum etiam eſt corpus inferius pube tenus. Reliquum corpus eſt nudum, cum dextro pede. Siniſtro humero ſuſtinet cornucopiae, fructibus ac floribus refertum, & laeva manu habet pyxidem, ut videtur, rotundam & oblongam. Dextra manu ſuſtinet pallam, quae detrimentum paſſa aliquantum farciri debuit. Eſt vel *Abundantiae*, vel *Bonae Fortunae* ſignum, non *Florae;* quo nomine recenſetur in Iconibus ampl. G. Reynſtii N. 4. ad quem venerat ex Muſeo Vendrameno.

NUM. 5.

Marmorea viri juſta magnitudine ſtatua ſepulcralis (V. Montf. D. Ital. p. 261. 264. Frigel. de Statuis C. 10. p. 81. &c.) Quinque pedes alta, cujus baſis lata pedem & octo pollices, refert togatum virum Romanum, nudo ac barbato capite. Dexter humerus cum brachio & manu latent ſub toga, miro artificio ſinuata ac plicata, qua pedes eminent ſoleati. In ſiniſtro humero conſtricta eſt per fibulam, atque laevum brachium magnam partem cum manu demiſſa eſt nudum. Inferior pars ſeſquipedis altitudine non eſt ejuſdem lapidis, cujus reliqua ſtatua; ſed eſt caerulei coloris e lapide duriſſimo. Vulgo ridicule *Conſul* audit, ut in Iconibus Reynſt. N. 1. & dedicat. Eutropiana clar. Sig. Havercampi. Olim quoque in Muſeo Vendrameno.

NUM. 6.

Magnificentiſſima candidi marmoris moles, quatuor pedes, & tres pollices alta, duos fere pedes lata, & ultra humanam menſuram craſſa, referens Imperatorem paludatum, loricatum ac tunicatum; ſed tantum ad genua uſque. Nam plana

eſt

eſt inferiori parte moles, & deſinens in tunicae fimbriis.

Caput nudum, ei inpoſitum, eſt antiquum viri Romani; ſed reliquae corporis magnitudini non conveniens, & pro rata proportione nimis parvum. Ad utraque capitis tempora eſt magna, & antiquitus jam exciſa cavitas; quae viris nonnullis doctis creduntur inſerviviſſe laureae, ex aere vel pretioſiore metallo factae, & ita capiti adaptatae. Paludamentum, in pectore & ſiniſtro humero multas plicas habens, & a tergo uſque ad thoracis ultimas faſcias dependens, adſtringitur fibula in humero ſiniſtro: ac deſunt tota brachia. Thorax ſive lorica eſt ornata ſimili fere figura, quali eſt ipſa moles, ſeu tropaeo in pertica erecto, & conſtanti e loricato ac tunicato militaris viri corpore cum balteo & gladio; eique perticae galea eſt inpoſita, cui a latere dextro adſtans Victoria alata, & ſiniſtra ramum ferens, dextra manu aptare galeae vult coronam; a laevo latere alia Victoria alata humero adfigit ſcutum, cui figura quaedam, forſan fulminis, eſt inſculpta. Tropaei pertica exſurgit e concha marina, ovatis ſtriis elaborata, infra quam pendent faſciae ſeu latae fimbriae, in quibus caelata ſunt Herculis acta; ſed plurimam partem exeſa, ita tamen, ut nonnulla adhuc ſatis clare conſpici poſſint. Infimam molis partem occupat conſpicua & rugoſa tunica, in fimbriata fila deſinens. Minutum hujus marmorei trunci ectypum conſpicitur in Tabula, Jac. Tollii epiſtolis Itinerariis praefixa; ſed majori forma eſt expreſſum inter Icones ampl. G. Reynſtii, in cujus antiquaria ſupellectili olim, ac prius in Muſeo Vendrameno fuit, ſub nomine *T. Hoſtilii* N. 2. Errat enim celeb. Sig. Haverkampus, ſcribens, Romae demum effoſſam hanc molem eo tempore, quo nobiliſſ. J. Wittius in Italia peregrinabatur. V. dedic. Eutropianam, in qua vir doctiſſ. exiſtimat, ſtatuam eſſe Imperatoris Auguſti, cenſetque, oris lineamenta egregie ad praeſtantiores ejuſdem Imperatoris nummos accedere, & inter alia *concham* refert ad gentis Juliae auctorem, e mari natam, Venerem. Sed talia facilius excogitantur, & chartae illinuntur, quam certis documentis confirmantur. Similis plane huic noſtro marmoreus truncus ſine capite vulgatus eſt a Cl. Malvaſia in Marm. Felſin. p. 150. In cujus thorace tamen aliae

ſunt

ſunt figurae. Eumque ille refert quoque ad Auguſtum, vel Claudium, aut Neronem. Mihi & illud & hoc videtur eſſe magnificum Tropaeum incerti Imperatoris. Cui deinceps caput quoddam, nequaquam Auguſti vultum referens, inpoſuerunt, immo multo plumbo conglutinarunt. Pro plumbo nunc argillaceam materiam ſubdiderunt operae. Multa tropaea talia ſuperſunt, capite vel galea, & brachiis nunc carentia, quibus adnectebantur ſpolia, & ſcuta.

NUM. 7.

Marmorea juſtae magnitudinis ex albo, ſeu Pario lapide ſtatua, alta quatuor pedes & decem pollices, lata in baſi pedem & novem pollices. Quae refert feminam capillis nitide comtis gravem, & ſtola artificioſiſſime plicata, ex qua ſoli eminent pedum digiti, indutam, ac ſub pectore cinctam, nudis brachiis. Dextra manu porrigit pateram, ſiniſtram cum brachio ſublatam habens. Aere expreſſa eſt inter Icones Reynſt. N. 6. nomine ABUNDANTIAE. At potius eſt PIETAS vel RELIGIO. Conſpicua fuit quoque in Muſeo Vendrameno.

NUM. 8.

Egregia nudi Apollinis e candido marmore ſtatua, tres pedes & novem pollices alta, & pedem ac novem pollices in baſi lata. Pulcherrimae comae virgineum in morem venuſte ſunt ſinuatae & ligatae, cincinnis verticis ab utroque humero defluentibus. Dextra manu lauream tenet coronam, ſiniſtra incumbit cortinae, lauri foliis ornatae, quae tripodem tegit ſtriatum. Inferior tripodis pars recentioris eſt fabricae.

Olim hoc elegantiſſimum monumentum poſſedit H. Schulten, Societatis Indiae Orientalis curator: & delineatum, atque aeri inciſum, conſpicitur inter ſigna Joannis Epiſcopii N. 68. ubi male dextra manus cortinae incumbit, ac laeva coronam tenet.

NUM. 9.

Excellentiſſima nudi Fauni juvenis e Pario marmore ſtatua, alta tres pedes & novem pollices, lata in baſi pedem & quatuor pollices. In ſincipite inter crines adparent cornua, & aures habet acutas ac Satyricas: ſiniſtra manu tenet novem calamorum fiſtulam, pro veteri diffracta nunc inſtauratam: dextra manu pedum, quod in brachium adſurgit, gerit; ac dextro femore arboris trunco innititur.

NUM. 10.

Veneris nudae ex albo marmore ſtatua, quatuor pedes & duos pollices alta, in baſi pedem & tres pollices lata. Ejus capilli eleganter diſcriminati ſunt, quorum nonnulli ſoluti fluunt per utrumque humerum. Dextra manu tenet linteum panniculum, ſeu mappam, in varias ſine cura plicas convolutam; laeva pubem leviter tegit, ac ſiniſtro femore innititur grandi arboris trunco. Delineatio ejus comparet inter Icones Reynſt. N. 3. Muſeum Vendramenum ea quoque ornatum fuit.

NUM. 11.

Protome, vulgo *buſtum* dicunt, nuda pueri, dulce ridentis, qui dextram manum inter inclinans caput, & ſiniſtrum humerum venuſtiſſime inſerit; e candido marmore, inſiſtens caerulei lapidis baſi. Pedem ac tres pollices alta, ſeptem pollices lata.

NUM. 12.

Incertae Auguſtae Deaeve protome ex albo marmore, caeruleis venis diſtincto; cui caput paullum cernuat, & crines ornate ſunt diſcriminati, ac per diſcerniculum ſuper mediam frontem diviſi, atque in cincinnos contorti, inque collum monili vinctum penduli. Veſtimentum ejus per fibulam in dextro humero eſt adſtrictum.

ſtrictum. Duos minus pollice pedes alta, pedem duoſque pollices lata inſiſtit varii marmoris baſi, ſuſpectaeque eſt antiquitatis.

NUM. 13.

Veneris nudae e candido marmore ſtatua formoſiſſima, duos pedes & novem pollices alta, laeva manu dexteram mammam, dextera manu pubem leviter tegit, in lacertis habens trium annulorum armillas. Ei ab ſiniſtro latere adſtat parvulus, ſed obeſus, Cupido alatus, induſium matri, tamquam e balneis venienti porrigens. Olim fuit in A. Vendrameni Muſeo.

NUM. 14.

Agrippinae, uxoris Germanici, ut fertur, protome, ſeſquipedem alta, pedem & tres pollices lata, nitide diſcriminatis capillis, ac veſtitu, ad dextrum humerum fibula nexo, ornata, ſiniſtram mammam humerumque exſertum gerens, innitenſque nigra baſi. Ejus ectypum adparet in Iconibus Reynſtianis N. 41. ſed lapis, qui eſt plurimis venis caeruleis mixtis albus, non videtur antiquus; uti nec adeo vetuſtum opus. Acceſſit Papenbroekiano legato per honeſtiſſimum virum, Amſtelaedamenſem civem, HIERONYMUM DE BOSCH, qui in reliquae ſupellectilis Papenbroekianae auctione illam emerat, & ad illud legatum pertinere judicans Academiae donavit.

NUM. 15.

Antiquum pueruli e candido marmore caput pulcherrimum, criſpiſque capillis decorum; quod Ganymedem referre falſo quidam opinantur. Olim fuit apud ampliſſ. Conſulem Witſenium.

NUM. 16.

Mulieris caput, cujus comae ſummo artificio ſunt compoſitae ligataeque, quibuſdam in ſincipite cincinnis tortuoſe ſe erigentibus. Eſtque ſeptem pollices altum; cujus ectypum adparet in Reynſtianis N. 96. itidem ex ampl. Witſenii Muſeo tunc depromptum.

NUM. 17.

Fauſtinae, T. Antonini Pii uxoris, gravem majeſtatem ſpirantis, protome, aliquantum juſta magnitudine major. Cujus caput & capilli ad ornatum vincti ſunt ſex torulis in altum adſurgentibus, ſinguliſque raro artificio contortis, ac per faſciolas involutis. Ex marmore conſtat, quod nunc quodammodo flaveſcit. Sed pectus, plicato eleganter veſtitu tectum, ſtatuarius fecit e pulcherrimo marmore rubro, caeruleis maculis diſtincto. Alta haec eſt imago duos pedes & tres pollices, ſeſquipedem lata, fuitque aliquando in Gazophylacio ampl. J. Wittii, ac dein nobil. Neufvillii, & aere exſculpta conſpicitur inter Icones Reynſtian. N. 71.

NUM. 18.

Marmorea nudi Apollinis ſtatua, duos pedes & quinque pollices alta, in baſi decem pollices lata. Caput illius eſt laureatum, ac dextra manu innititur citharae vel lyrae, quae ſtat in columella. Prominet dextrum ejus genu. Verum vel ipſe marmoris color, operoſiorque in multis cura clamant, recens eſſe vetuſti Apollinis exemplum, aut ſignum, ad antiquorum imitationem expreſſum, & quidem, ut harum rerum judicant periti, ab Flandro artifice Queſnoyo, ſive, ut pictoribus fictoribuſque patriae nomine vulgo vocari ſolet, Fiamengo.

NUM. 19.

Protome vetuſtiſſimo marmore excellentiſſima P. Cornelii Scipionis Africani, ut ajunt; juſtae magnitudinis, niſi quod ei vix reſpondeat minutum nimis caput. Habet vero paludamentum ex marmore maculoſo Aegyptio, duos pedes alta, ac pedem cum quatuor pollicibus lata.

NUM. 20.

Principis mulieris caput e candidiſſimo marmore, cujus comae artificioſe ſunt digeſtae, atque ab occipite in nodum diademate convolutae. Cum baſi eſt altum ſeſquipede, ac ſeptem pollicibus latum. Agrippinae, Neronis matris, caput eſſe tradunt quidam.

NUM. 21.

Imperatoris T. Antonini Pii protome, ex antiquo marmore pulcherrima, paludamento ſuper ſiniſtrum humerum per umbilicatam fibulam nexo. Pedem octoque pollices eſt alta, pedem cum pollice lata. Comparet inter Iconas Reynſt. N. 86.

NUM. 22.

Recens marmor, vetuſti viri Romani caput juſta magnitudine referens, cujus baſi inſculptae ſunt hae litterae.

L. SERVLIVS.

Vitioſe forſan pro SERVILIVS.

NUM. 23.

Pulchra nudae Veneris Aphrodites ſtatua ex elegantiſſimo marmore albo, tres pedes alta, & pedem lata. Ejus flexuoſi capilli in nodum ſunt conſtricti. Ipſa ſe paullulum inclinat,

nat, dextra manu pubem tegens, ſiniſtrâ concham, quae tamen recentis nunc eſt fabricae, tenens. Ad laevum pedem ſtat delphinus, cujus cauda adſurgit in deae femur, eique adhaeret. Olim quoque in Vendrameno Muſeo fuit conſpicuum, illiuſque ectypum vulgatum eſt inter Icon. Reynſt. N. 5.

NUM. 24.

Protome dei juvenis Panis, plus duos pedes alta, pedem & quatuor pollices lata, e candidiſſimo marmore. Illius caput, acutas aures habens, coniferae arboris foliis, bacciſque eſt redimitum, humerique hinnulea pelle ſunt contecti. Delineatio comparet in Iconibus Reynſt. N. 63. ubi male BACCHUS vocatur.

NUM. 25.

Pulcherrimum ex antiquo marmore caput juvenile, pede & novem pollicibus altum, ſeptem & dimidio latum, inſiſtens marmorea octo pollicum baſi. Britannici eſſe fertur.

NUM. 26.

Elegantiſſimum ex Pario marmore ſignum, pedem & tres pollices altum, ac novem pollices latum. Figura eſt mulieris, quae crines in nodum a ſincipite vinctos gerit, ſtolam induta, ac bene cincta; quaeque in latiſſima ſella ſeu cathedra ſedet ita, ut inferior corporis pars pedeſque extra cathedram emineant quodam pavimento innixi. Sellam, uti & mulieris ſinum aliquatenus ambit ſerpens. Dextro brachio veſtimentum tribus ligaculis, inter quae interlucet caro, eſt adſtrictum. Super utrumque genu adparent veſtigia, quibus incubuit aliud ſigillum, quod canem fuiſſe opinor. Eſt enim dea SALUS ſive HYGIEA, tutelaris alicujus privatae domus cuſtos, Laris inſtar culta, alibi quoque conſpicua. Confer, quae pag. 10. de Nehalennia ſcripſi, ac ſignum ab ampl. Cupero editum, ſed minus bene

bene explicatum, in Monum. Antiq. p. 197. Hoc ſigillum fuit olim quoque in Muſeo Vendrameno.

Sequentes IX. *imagines ſtant ſub inſcriptione, Papenbroekio dicata.*

NUM. 27.

Pulchra ex antiquo marmore barbati & paludati Imperatoris, ex nonnullorum opinione M. Aurelii Antonini Caracalli, protome, pedem & tres pollices alta, undecim pollices lata. In antiquaria Andr. Vendrameni ſupellectili aliquando fuit, aere expreſſa in Reynſtianis N. 48.

NUM. 28.

Vetuſtum ex albo marmore infantis caput, marmorea baſi inpoſitum, altum decem pollices, quatuor latum, ex Muſeo Wildiano: ubi videas N. 60.

NUM. 29.

Vetus marmoreum caput, pedem altum, & ſeptem pollices latum, ſimis naribus, & aſininis auribus inſigne, Silenum ſcilicet vel Pana referens. Quidam Midam, Phrygum regem, ajunt.

NUM. 30.

Senile & bene barbatum caput, lato diademate incinctum, cincinnis quoque ex diſcriminato capillitio deſcendentibus, vetuſtiſſimo ex marmore. Eſtque octo pollices cum dimidio altum, quatuor cum dimidio latum. Olim Vendrameni fuit, ac conſpicitur hujus capitis delineatio inter Iconas Reynſtianos N. 95.

NUM.

NUM. 31.

Politiſſimum ex candidiſſimo marmore ſigillum Bonae Fortunae, eleganti ſtola veſtitae. Dextra manu & brachio cornucopiae tenet, ſiniſtra veſtem quaſi ſublevat. Altum eſt pedem & duos pollices, quinque latum.

NUM. 32.

Capillatum & barbatum ex vetuſto marmore caput Hiſtorici, ut ajunt, Thucydidis; ſed illi diſſimile, quod eſt in Fulv. Urſini imaginibus N. 144. decem pollices altum, quinque cum dimidio latum.

NUM. 33.

Marmoreum Divae Juliae ſive Liviae Auguſtae conſecratae caput, octo pollicum altitudine, ſed paullo truncatum. In conſecrationis ſignum velato capite expreſſa eſt Julia, uti N. 42. Fauſtina, &c. V. Cuper. explic. Gemmae Auguſt. p. 208. Gorium Praef. ad Columb. Libert. Liviae Aug. p. 21. Comparet in Reynſtianis N. 31.

NUM. 34.

Jovis Serapidis vel Sarapidis marmorea protome, novem pollices alta, ſex lata. Supra bene barbatum crinitumque caput adparent veſtigia, quibus ſtetit modius, vulgare illius inſigne.

NUM. 35.

Eximia Imperatoris Hadriani marmorea protome nuda; niſi quod ſiniſter humerus fibulato paludamento ſit velatus. Alta pedem & novos pollices, pedem & duos pollices lata. Olim poſſedit quoque Andr. Vendramenus; & ectypon ejus videre licet inter Icon. Reynſt. N. 49.

Sequentia

Sequentia IV. *ſigna ſtant inter urnas ſuper Epiſcopi Marcelli ſepulcro.*

NUM. 36.

Caput ferox militis cujuſdam, uti videtur, Daci; qualia multa ſunt in columna Trajana, aliuſve barbari. Eſt quinque pollices cum dimidio altum, & quinque latum. Olim ſtetit in ampl. Conſ. Witſenii Muſeo.

NUM. 37, 38.

Duo pulcherrima ſtantium feminarum ſigilla, pedem & pollicem alta, quatuor pollices lata. Quae, velatis praeter faciem capitibus, ſtola talari ſunt indutae, & Veſtales virgines referre videntur. Quondam Antonii Gril, & Andr. Vendrameni Muſea ornaverunt.

NUM. 39.

Veteris cujuſdam philoſophi ex antiquo marmore caput, cui barba dependet promiſſa, & in cincinnos diſcreta. Olim in Muſeo ampl. Conſ. Witſenii.

NUM. 40.

Marmoreum ROMAE VICTRICIS ſignum, pedem & quatuor pollices altum, octo pollices latum. Dea Roma caſſide laureatâ tecta, tunicaque ac ſago induta, pedibus ad genua uſque nudis, ſedet in ſpoliorum, variique armorum generis acervo. Manus ei ſunt abſciſae; ſed ſatis patet, illius ſiniſtram incubuiſſe globo, tropaeis ex lorica, tunica &c. conſtantibus inpoſito: uti paſſim in nummis adparet.

NUM. 41.

Nudum Romani viri caput incompto capillitio, ſed leviter criſpato, decem pollicum. Ectypum ejus expreſſum eſt inter Iconas Reynſt. N. 90.

NUM. 42.

Egregia protome marmorea Divae, ſeu conſecratae, Fauſtinae, velato capite humeriſque (V. N. 33.), & ſincipite alte ſtructis capillis decorato: juſtaeque magnitudinis. Eſt enim pedem atque octo pollices alta, decem pollices lata. Ejus delineatio meretur conſpici apud Reynſt. in Iconibus N. 55. Poſſedit olim itidem A. Vendramenus.

NUM. 43.

Marmor ad cineritium vergens colorem, duos pedes & quatuor pollices ſive uncias altum, pede latum: quo exprimitur SOMNUS, in alati & dormientis Cupidinis, ſeu Genii imaginem formatus, crinitum caput venuſtiſſime inclinans in dextram manum, quae mento & ſummae ſiniſtri pectoris parti inſerta eſt. Laeva manus innititur inverſae faci, cujus flamma exſtinguitur in baſi. Alium, huic ſimilem, aere dudum exprimi curarunt viri docti, de quo adiri poteſt Broukhuſ. ad Tibulli lib. II. El. I. vſ. 89.

NUM. 44.

Eximia BERENICES, Ptolemaei Soteris II. & Selenes filiae, Aegypti Reginae, tamquam Deae, protome juſta magnitudine aliquantum major, ex marmore nunc flaveſcente. Duorum pedum & trium pollicum altitudinem, ſeſquipedis latitudinem habet. Caput, cujus capilli artificioſe diſcriminati, & in ſinuoſos cincinnos compoſiti ſunt, velo eſt obductum, ac pectora linea veſte tecta. In auriculis foramina ſunt, ex quibus pepen-

pependerunt monilia. Ectypum ejus conſpicitur inter Iconas Reynſt. N. 32. Ed. pr. ubi male CLEOPATRA vocatur; ut patebit conferenti J. Vaillantium in Hiſt. Ptolemaeorum p. 129. & p. 166.

NUM. 45.

Laureatum Caeſaris Titi Veſpaſiani caput, olim in ampliſſ. Conſulis Witſenii Gazophylacio conſpicuum, novem pollices altum, ſex latum.

NUM. 46.

Marmorea puellae protome nudo pectore, turgentibuſque mamillis, & egregie compto capillitio, cujus nonnulli cincinni in ſincipite ſtant erecti. Pedem ac pollicem eſt alta, ſex & dimidium poll. lata.

NUM. 47.

Cnei Pompeji Magni, ut fertur, protome ex candidiſſimo marmore, juſtam humanae ſtaturae magnitudinem excedens, & inſignis artificii opus, denſa decoraque caeſarie, Pompejo adſcribi ſolita, cujus multi cincinni in latam frontem inflexi ſunt, praeditum. Pedem & quatuor pollices praeter baſim alta, & octo pollices cum dimidio lata haec eſt protome.

NUM. 48.

Columella ex albo marmore, tres cum dimidio pedes alta, pedem craſſa, referens tergeminas mulieres ſtolatas, quarum terga quaſi columnae ſunt adplicita. Habent brachia quatuor demiſſa, ſed quae in cubito, dedita ſtatuarii opera, deſinunt tamquam abſciſa. Omnes prominentibus ſunt uberibus, ad quae duae mulieres dexteram manum admovent. Super ſtolas aliud amiculum a lateribus & humeris ad medium corpus dependet; atque inter earum capita in medio aliquantum eminet ipſa columella,

mella, ſive mutulus. Eſſe hanc ſtatuam exiſtimo ex illarum genere, quas deſcribit Vitruvius, uti ex MSS. & Editionibus veteribus legi debet, libro primo Cap. 1. *Si qui ſtatuas marmoreas, mulieres ſtolatas, quae* Caryatides *dicuntur, pro columnis in opere ſtatuerit, & inſuper mutulos & coronas collocaverit* &c. ſicuti in hac columella mulierum vertices etiam oneri ferendo quaſi aptatae ſunt. Alii *tergeminam Hecaten*, alii *trinas Charites* eſſe ſomniarunt.

NUM. 49.

Marmoreum & elegans Germanici Caeſaris, ut credunt, caput juſta magnitudine, pedem & tres pollices altum, & ſex cum dimidio latum. Olim fuit in Muſeo ampl. Cof. Witſenii, atque in iconibus Reynſtianis habetur N. 98.

NUM. 50.

Imperatoris Nervae, laureato capite, protome paludata ex lapide alabaſtrite, ad caeruleum colorem vergente; alta pedem & duos pollices, lata novem pollices; ſed operis nequaquam antiqui.

NUM. 51.

Pulcherrima Graecanicae mulieris protome, cujus capillitium artificioſiſſime eſt elaboratum, ac variis faſciis in fronte & ſuperiore capite ligatum. Alta eſt pedem ac ſeptem pollices, octo pollices lata; ſed mihi non videtur eſſe, niſi vetuſti operis exemplum.

NUM. 52.

Juſtae magnitudinis marmorea protome, Plotinam, Imp. Trajani uxorem, referens, pereleganti opificio, ſed recentiore, ut opinor, ſculpta; capillitio per multos undulatos ſinus faſtigatim

gatim adſurgente. Pedem & novem pollices eſt alta, totidemque pollices lata.

NUM. 53.

Artificioſiſſima ſtatua ex lapide alabaſtri inſtar flaveſcente, duos pedes duoſque pollices alta, in baſi pedem lata, repraeſentans barbatum Herculem, qui ſummis viribus nerviſque intentis Antaeum tellure ſublatum utroque brachio ſuſtinet, atque eliſis inteſtinis ſuffocat. Antaeo caput deeſt. Inter pedes ſtat clava, leonis exuviis onuſta. Sed dubito, an ſit operis admodum antiqui.

NUM. 54.

Aegyptiae, ut videtur, mulieris protome e marmore candidiſſimo. Puellari & vivida eſt facie, ac pulchre ornato, lineiſque faſciis, in ſeſe volutis, tecto capite, a quo utrimque infulae dependent. Planum habet pectus latoſque humeros: alta eſt pedem & octo pollices, ac pedem lata. In baſi exſculpti ſunt ſex characteres, totidem, ut cum aliis viris doctis reor, Zodiaci ſigna, quorum figuram vide ſis, Lector, in Tab. III. N. 2.

NUM. 55.

Vetulae mulieris caput, rariſſimo capillitio, adfabre atque antiquo artificio ſculptum, decem pollices altum, & ſex latum.

NUM. 56.

Dexter pes ex coloſſea ſtatua marmoris candidiſſimi, eximii artificii opus: atque eleganter eſt ſoleatus ligatuſque; pedem & octo uncias longus, ſeptem latus, pedem cum duabus unciis altus. Olim in Muſeo And. Vendrameni.

NUM. 57.

Alius pes dexter marmoreus, alioque modo ſoleatus, ligaturis fibula connexis, decem uncias longus.

NUM. 58.

Siniſtri pedis marmoreum fragmentum, ſeptem uncias longum.

NUM. 59.

Muliebris manus marmorea, gladii, ut videtur, capulum, ſive aliud manubrium tenens, ſeptem uncias longa, & quatuor lata.

NUM. 60.

Alia mulieris manus, diſcum quemdam plana palma tenens.

EX REVERENDI ET DOCTISSIMI VIRI,

ECCLESIASTAE AMSTELAEDAMENSIS,

PETRI HOLLEBEEKII

dono

acceſſerunt ſequentes marmoreae imagines, ad ipſum Zmyrna aliquando miſſae.

NUM. 61.

Nuda Romani viri protome, quae creditur eſſe Q. Hortenſii, celeberrimi oratoris; qui belli Mithridatici tempore L. Sullae in Aſia fuit Legatus. Haec protome, cum baſi uno ſolido

lido lapide conſtans, pedem & novem pollices eſt alta, pedem & duos pollices lata.

NUM. 62.

Romani, ut videtur, Proconſulis caput egregium, lineamentis tam vive expreſſis, ut etiam nunc ſpirare credas, pede altum, ſeptem pollicibus latum.

NUM. 63.

Pulcherrimum ex candidiſſimo marmore Veneris caput, cujus capillitium artificioſiſſime eſt digeſtum, decem pollices longum, ac prae eminulis cincinnorum ſinubus octo pollices latum.

NUM. 64.

Parvulum Reginae Deaeve diademate cinctae caput, in dextram partem ſe inflectens, crinibus a vertice in nodum conſtrictis, ex alabaſtro candido politiſſimum, pedis dimidio altum.

NUM. 65.

Vetuſtiſſimum bene barbati viri caput, ſeptem pollicum altitudine.

NUM. 66.

Non minus antiquum criſpis capillis caput ſine barba, pedis Rhenolandici dimidium habens.

FINIS.

COR-

CORRIGENDA.

Pag. 6.	l. 23.	*Valente*	l. *Val. Pudente*
—— 7.	l. 25.	ΔΙΟΡΕΝΗ	l. ΔΟΡΕΝΗ
—— 19.	l. 2.	168.	l. 1685.
—— ——	l. 30.	IV.	l. LV.
—— 50.	l. 25.	post *Edit.*	deleatur punctum
—— 59.	l. 5.	*fumt*	l. *ſtans*

Bayerische Staatsbibliothek München